Littorius Valentiniani III. Dux, in ſpem Gothorum ex A Gallia pellendorum erectus, exercitum ad urbem eorum Toloſam adduxit; tantùmque Theoderico Regi metum expugnationis injecit, ut pacem ſupplex per Epiſcopos poſtularit. Qua præfiducia virium denegata ſummo illum prælio provocavit, ſperans, ſe pulſis eo certamine hoſtibus urbe nullo negotio potiturum. Rapiebatur autem partim æmulatione gloriæ Ætii (nam cùm ſecundas ab illo partes teneret, rerum illum magnitudine vincere contendebat) partim etiam inſita quadam animi temeritate, quia aruſpicum reſponſis, & dæmonum ſignificationibus, non Dei ope fidebat. Itaque pugna cupidè magis quàm prudenter commiſſa, infelicem exitum habuit; ſiquidem magna parte ſuorum amiſſa ipſe etiam in poteſtatem hoſtis conceſſit: ac captivus, & vinctus in eam urbem ductus eſt, in quam ſe victorem & triumphantem inituram ſperarat. Hoſtium tamen haud incruenta victoria fuit, ut niſi captus Dux fuiſſet, dubitandum fuerit, ab utra parte ſtatuta victoria fuerit. Hanc cladem, Ducis ac Romanorum ſuperbia Deum immiſiſſe contendit Salvianus Maſſilienſis per hoc tempus Epiſcopus. *Sigon. lib. 12. Imp. occid.*

Vitiges Gothorum Rex, ann. 537. cum univerſo exercitu equitum, peditumque centum quinquaginta millibus iter Ro- B mam intendit, tanta urbis potiundæ fiducia, ut obvios rogaret. Num Beliſarium Romæ deprehenſurus eſſet? neque enim illum ſe expectaturum putabat. Cæterùm fruſtra in annum integrum data obſidione majoribus acceptis, quàm illatis cladibus, in timorem Ravennæ amittendæ adductus: caſtris omnibus (ſena enim fecerat) incenſis, abiit. *Sigon. l. 18. Imp. occid.*

Contra Othonem I. Cæſarem conſpiraverant Henricus F. Giſelbertus Lotharingię Dux, ſororius, & Everhardus Comes, Conradi I. Cæſaris frater. Unuſquiſque horum ad regnum aſpirabat. Everhardus cùm uxorem in gremio haberet: Gaude nunc, inquit, in ſinu comitis: mox gaviſura in complexu Regis. Cæterùm non procul à Briſaco, ab Othonianis in taberna, dum corpus curat, interfectus eſt. *Crantz. lib. 3. Sax. c. 19.*

Cùm Parmam urbem Fridericus II maximo exercitu obſideret, caſtra foſſa, valloque munitiſſima in urbem ædificare conſtituit, ut Parma funditus diruta, hæc in ejus locum ſuccederet: nomenque novæ urbi Victoriæ indidit, & tutelarem ſanctum martyrem Victorem in baſilica cathedrali conſtituit, Victorinoſque in ea urbe nummos cudit. Geſtum eſt poſteà per duos fermè annos bellum atrox, variumque, & Lombardiæ, ac omnium Italię perniciosiſſimum omnibus, quas per Italiam partium Gibellinæ, & Guelphæ labes infecerat, auxilia non magis C militum, quàm pecuniarum contribuentibus. Et fuit urbs Victoria vario gentium, & rerum inuſitatarum commercio, ac multitudine frequentata, quòd per ſingulos ferè dies ex Africa, Aſia, Ægypto homines confluerent. Cæterùm cùm urbem paulò pòſt fame dedendam obſideret Imperator, ab obſeſſis ex improviſo erumpentibus capta urbs, ſolo adæquata eſt. Imp. vix effugiens, ſupellectilem precioſiſſimam perdidit. *Crantz. lib. 8. Sax. cap. 13. & 14.*

Carolo IV. imperante, magna manus nobilium cum Bremenſibus cæſa eſt à Ruſtringis Friſonibus in Blexen. Mauricius adminiſtrator Bremenſis, Gerardus, Chriſtianus. Conradus, Comites de Aldenburg, cùm ſeptingentis armatis ibi ceciderunt. Capitaneus terræ Blexen, pollicebatur ſe terram hoſtilem in eorum poteſtatem daturum, ſi modò ditioni ſuæ parceretur. At renuerunt Nobiles: & licèt in itinere auxilia plurima illis advectarent, expectare noluerunt. Diviſæ erant copiæ, medio flumine interfluente, ideò faciliùs oppreſſi fuere. Vix evaſit unus, qui factum nunciaret. Auro inſtructi erant nobiles illi, cùm precioſa quæque ex præda coemere conſtituiſſent à D gregariis militibus. *Crantz. l. 10. cap 26. Metrop.*

Hubba, & Hungar, Gadani Danorum Regis fratres, in Scotiam cum claſſe profecti erant, Pictorum excidium ulturi. Scoti, Conſtantini Regis auſpiciis, Hubban à fratre ſejunctum prælio ſuperaverant. Eo ſucceſſu elati, duos inſequutos dies choreis & tripudiis conſumpſerunt, tanta inſolentia, ut inter ſe palàm de præda dividenda contenderent, ſortibuſque diſquirerent, An Danorum duces extemplò poſt partam victoriam forent necandi, an vivi reſervandi ad ludibrium? Super his tanta fuit controverſia, aliis alia aſſerentibus, ut juniores cum majoribus natu ad graviſſimas contumelias deſcenderint: his ætatis prærogativam oſtentantibus, illis jactantibus labores & pericula in prælio ſubeunda. De captivis quinetiam, de pecunia, armis hoſtium, exuviiſque dividundis multi, ac varii ſermones habiti, at de inſtruenda acie, de hoſte ſuperando prorſus nulli. Prælio iterùm commiſſò: Hungar magna ſtrage Scotos vicit, Conſtantinum captum ſecuri percuſſit. *H. Boeth. lib. 10.*

Eduardus II. Anglorum Rex, exercitus CCCM. triginta Scotorum millia Roberto Bruſio Duce, ad fl. Bannasborn, aggreſ- E ſurus, victoriæ ſpe tumidus, cum proceribus conſultare cæpit, quo ſupplicii genere Robertum eſſet affecturus: ſed & Carmelitanum monachum maximo ſtipendio conduxit, qui victoriam Anglorum, & Scotiæ excidium decantaret. Victus ingenti ſtrage, vix ſcapha effugit. Monachus cùm in manus vivus veniſſet, juſſu Roberti, ſtylo converſo, Scotorum victoriam carmine poſteritati prodidit, barbaro quidem illo, ſed illi ſeculo haudquaquam contemnendo. *H. Boet. lib. 14.*

Robore Suorum.

Xerxes à CCC. Lacedæmoniis ad Thermophilas vexatus, cùm vix eos confeciſſet, hoc ſe deceptum ajebat, quòd multos quidem homines haberet, viros autem diſciplinæ tenaces nullos. *Front. lib. 4. cap. 2.*

Perfidia Suorum.

Adelberto Eporediæ Marchione mortuo, duobus filiis Berengario, & Anſcario relictis, Ermengarda ſecunda uxor Adelberti Tuſciæ Marchionis, & Bertæ filia, cùm mariti di- F tionem vidua adminiſtraret: favore principum Italicorum muliebribus illecebris ſibi conciliato, tantas opes quæſiverat, ut etiam Rodulfo Burgundo Italiæ regnum eripere cogitarit, neque cogitationem eventus fefellit. Siquidem an. 925. Papiam, firma contracta militum manu, quippe Hungarorum bello attritam, adorta occupavit. Ea re permotus Rodulfus Verona ſtatim accurrit, atque Lamberto Archiepiſcopo adjuvante exercitum ad Papiam ex manibus hoſtium recuperandam adduxit, ac caſtra quinque millibus paſſuum ab urbe ad Padi, & Ticini confluentem locavit. Dum urbs lenta obſidione urgetur. Ermengarda Regem nuncio per fluvium miſſo admonuit, ſe, ſi perdere eum voluiſſet, jampridem potuiſſe: in eis enim eum locis ſedere, in quibus captus jampridem eſſet, ſi amicorum ejus conſiliis paruiſſet, qui eum deſerere & ad ſe tranſire diſcuperent. His Rodulfus verbis exterritus, remiſſo nuncio gratias egit, & ſe acturum quod illa vellet oſtendit ac cõcubina nocte, imprudentibus ſuis omnibus, lecto ſtrato in tentorio relicto, parato lintre ad eam ſe devehi juſſit. Prima luce principes, ut ſoliti erant, ad Regis tabernaculum convenerunt, quod magno ſilentio à militibus ſervabatur: & cum aliquantulum expectaſſent, mirati, quòd illa hora ſomnum caperet, conſultò ſtrepitum ad eum excitandum ediderunt, cùmque ne ita qui- G dem quicquam proficerent, ipſum tentorium inierunt, & nemine ibi reperto, raptum alii, alii occiſum exiſtimarunt. Dum autem incerti ſententiæ fluctuant, allatus eſt nuncius, Rodulfum apud hoſtes verſari, ac repentinam in ſuos impreſſionem moliri. Quare perculſi principes, extemplò ſe inde proripuerunt, ac Mediolanum, ut tutum in locum, ſe contulerunt, & Hugonem comitem Arelatenſem ad occupandam Italiam invitarunt. *Sigon. lib. 6. Regni Ital.*

Fuga Suorum.

Beliſarius, ſubſidio Romanis à Totila obſeſſis veniens, pontem Tiberi impoſitum à Gothis reſciderat. Ponte inflammato, jam aditus in urbem erat patefactus, cum rumor ad Portus oppidum perfertur, Beliſarium Gothos ſuperaſſe, & catenam in flumine recidiſſe, & pontem cum turri ſuccendiſſe. Quo permotus Iſaaces, ne tantæ expers victoriæ eſſet ſpreto Beliſarii imperio (qui eum illic conſiſtere juſſerat, ut haberet, quo ab hoſtibus fortè preſſus refugeret) in alteram ripam H cum equitibus centum trajecit, & ad hoſtium caſtra profectus, Rodericum Ducem, & Gothos repentè adortus, ſic exterruit, ut caſtra relinquerent. Qui mox animo collecto reverſi, Romanos prædæ colligendæ intentos invaſerunt, ac pluribus cæſis Iſaacem cum paucis vivum ceperunt. Hac re audita Beliſarius confuſus, ac Portum unà cum uxore Antonino in poteſtatem veniſſe hoſtium credens, tanto dolore affectus eſt, ut ne hiſcere quidem poſſet. Itaque exercitum protinus reduxit, atq; ad Portum ire contendit, ut hoſtes imparatos opprimeret, & locum recuperaret, quem amiſſum putarat. Ubi verò ſe opinione deceptum tantam victoriæ amiſiſſe occaſionem cognovit, gravi repentè febri oppreſſus eſt, quæ illum diuturnitate ſua uſque adeò maceravit, ut ad mortis quoque diſcrimen adduxerit. Nec multò poſt Totilas proditione Iſaurorum militum Romam cepit. *Sigon. lib. 19. Imp. occid. ex Procopio.*

D E-

De Rebus Hoſtium.

A ☞ *Conſule Tit. Securitatem, Audaciam, vel Timiditatem hoſti inücere, & ſimiles alios. Nam in his cùm duæ ſint perſonæ, Agens & Patiens: Agentis reſpectu ad Stratagemata, reſpectu Patientis, qui deluditur, ad hunc locum pertinent.*

De Transfugis.

Gabini in Italia ſe, & ſua perdidere, dum ſtultè nimis tyranni, & hoſtis filio credunt. Nudavit Sextus Tarquinius, ut transfuga, & patri iratus fœda verberibus terga Gabinis, pro concione: ſed callidum conſilium preſſit, quod latebat ſub pectore. Ex hoſte igitur Imperator eſt factus, & qui præſidio & ſaluti futurus credebatur, excidio fuit Gabinis, & exitio. *Sab. lib. 4. cap. 9. & lib. 10. cap. 2.*

De Timiditate.

B ☞ *Conſule Tit. Hoſtis contemptus. Item, confidentia victoriæ nimia in præcedent.*

Xerxes, cùm numeroſiſſimum contra Græcos exercitum duxiſſet, Demaratum Ariſtonis F. Spartanum exulem interrogavit: Num quis Athenienſium, aut Lacedæmoniorum contra ſe exercitum ducturus videretur; Demarato autem id affirmante, à Xerxe irriſus fuit. Verùm non multò poſt Xerxes contempti hoſtis pœnas dedit, turpi fuga ſibi conſulere coactus. *Herod. lib. 7.*

Conradus I. Imp. contra Henricum Saxon. Ducem movens cùm urbi Eresburg. appropinquaret, id unum ſe vereri dixit, ne hoſtis ſui copiam aperto marte faceret, ſed in urbibus obſidionem expectaret. Vix dum verbum protulerat, cùm Saxones ei occurrunt tanto cum impetu, ut vulgò admirabundi dicerent, Ubinam infernus ille eſſet, qui tantam hominum multitudinem recepturus eſſet. *Crantz. lib. 3. Sax. cap. 1.*

De Clamore.

Arnulfus, Germanorum Rex, an. 896. ubi Romanos impe- C rium ſuum detrectantes cognovit, ira percitus Urbem oppugnare inſtituit: neque per aliquot dies Romanis ſtrenuè ſe tuentibus quidquam profecit. Cæterùm, dum Urbs variis fruſtrà perrumpendi conatibus ſumptis obſideretur, oblata eſt egregia, præter opinionem, ipſius occupandæ fortuna. Lepuſculus fortè inaudito exercitus clamore perterritus ad Urbem fugit, eumque militaris quaſi ludi cauſa militum manus avidè inſequi cœpit. Quod ubi ſtationes videre Romanæ, re ignota univerſis ſe peti viribus arbitratæ, metu repentè de muris ſe projecerunt. Hac re conſpecta Germani locum ſibi datum aggrediendæ Urbis rati, ſubito ſarcinas muris admoverunt, eiſque ad juſtam altitudinem coacervatis, extemplò alii muros conſcenderunt, alii portam ariete perfregerunt: atque Urbem defenſorum inanem ingreſſi, ut Tranſtiberini ſeſe dederent effecerunt. Sic Arnulfus Urbe primus per vim poſt Gothicam tempeſtatem potitus eſt. *Sig. lib. 6. regni Italici.*

Holsatiæ Comites, Henricus in Stormaria, & Joann. in Vagria præſidentes, Dietharmaſiam ſuo imperio, à quo ſubtracta eſſet, ſubiicere volebant. Populus libertatem defendens, Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum invocabat, cujus ſe ditioni ſubeſſe affirmabat. Accepit Giſelbertus Archiepiſcopus D populi confeſſionem: & miſit belli gerendi peritos, qui populum in ordinem dirigerent. Comites terram hoſtilem pleni fiducia petentes, leporem viderunt per viam tranſverſo itinere diſcurrere: & ſublato venatico clamore, beſtiolam exagitarunt. Holſatii, qui in poſtremo erant agmine, ab hoſtium incurſu excitum clamorem arbitrati, fugam primi inierunt. Hoſtes interim turbatum invaſere exercitum. Cæſis, captiſque plurimis major ſibi numerus fuga conſuluit. ann. 1289. *Crantz. lib. 8. Sax. cap. 33.*

De Geſtibus.

Eduardus II. Anglorum exercitum CLM. ad amnem Bannaſborn. contra Robertum Bruſium Scotorum Regem ducebat. Angli Scotorum paucitate contempta (nam XXXM. non excedebant) ſolo conſpectu ſe hoſtes in fugam verſuros credebant. Quæ opinio ſorte quadam aucta eſt. Robertus etenim, cùm omnes pariter pedites, equiteſque relictis equis (ut æquato periculo invicem magis fidentes cohærerent) pedites pugnare juſſiſſet, procedens ante ſigna Mauricius Abbas, arrepta duabus manibus cruce, oſtentanſque eam militibus, ut in eoque ſolo confiderent, ad pugnam eduxit: ac ubi aliquantum adhuc acies utrinque abeſſent, Deo ſeſe cunctos in terram pro- E ſtratos commendare mandavit. Quod ubi hoſtes videre, deditionem eos ſupplices facere clamavere univerſi. Sed mox ubi conſurgentes maximo impetu ſibi inſtare videre, in fugam repentè ſunt verſi. *H. Boeth. l. 4.*

☞ *Vide multa in Loco* Putare, *qui præſens Argumentum illuſtrabunt, Cùm pleraque ex illis, quæ ibi adducuntur, ſtultitiam aliquam in optando, aut eventum expectando adjunctam habeant.*

* Stupiditas.

Definitio, et Etymologia.

Stupiditatem definit *Theophraſt. in Charact.* Ethicis, quòd ſit animi tarditas, ſeu dicendum, ſeu faciendum ſit aliquid. Stupidus verò is eſt, qui ſedens ad calculos poſtquam rationes putavit, & ſummam ſubduxit, rogat eum, qui ſibi aſſidet, Sum- F ma quæ eſt? Ac cùm ei litem aliquis intenderit, ubi ad diem illum ventum eſt, quo diſceptari cauſa debet, ejus oblitus in agrum proficiſcitur. Sæpè etiam ſedens in theatro ad ſpectandum, diſcedentibus aliis ſomno obrutus ibi relinquitur: quippe qui ſe ad multam noctem cibis ingurgitavit: ac tandem ſede ſua exſurgens: in canem vicini incidit, à quo mordetur.

Deducitur à ſtupore, qui eſt alienatio quædam ſenſuum: quam videntur etiam ſentire ſtupidi, dum ad quidvis agendum ita ſunt ſegnes & tardi, ac ſi conſtipatos haberent ſenſus, & intellectum. Græcis ſtupidus ἀναίσθητος, ἐκπληκτος appellatur, & quandoque pro ſtupefacto, quandoque pro ſtulto uſurpatur.

☞ *Pete plura ex Loco de Ingenio, Induſtria &c.*

Stupor.

☞ *Vide* Ecstasis.

* Stuprum.

Definitio, et Etymologia. G

Stuprum accipitur aliquando pro omni coitu lege prohibito. *L. inter libertas π de adulteris:* aliquando pro coitu cum virgine, aut vidua. *Patet ead. L.* at propriè dicitur de violéta virginis corruptione; quæ Græcis φθορά, id eſt, corruptio, unde propriè ſtupratores, & corruptores virginum ſunt, qui vim inferunt, & ita propria ratio ſtupri in hoc conſiſtit, quod virginitati, ſeu clauſtro virginali vis inferatur: unde ſuper fornicationem addit injuriam in puellam, qua per vim integritas corporis ei adimitur. Atque hinc differt à raptu, quod hic fieri poſſit ſine corruptione.

Stupri Pœnæ a Deo Inflictæ.

Stupri varias pœnas. ☞ *Vide Loc. de Fornicat. Adulterio, Libidine, &c.* Quibus omnibus pauca hæc adiicimus.

Ex S. Scriptura.

Pharao, cùm Saram uxorem Abrahami, (ſororem eam eſſe illius credens) matrimonio ſibi copulaſſet, magnis cladibus à Deo fuit affectus, donec eam Abrahamo reddidit. *Gen. 12.* H

Abimelech Gerarorum Rex, cùm Saram Abrahami uxorem rapuiſſet, Domini manum vindicem expertus eſt: ita ut tota ejus familia ſterilis fuerit reddita, quoad Saram Abrahamo cum muneribus reſtituit. *Gen. 20.*

Historica.

Poſt mortem Edelberthi Regis Anglorum, cùm filius ejus Eadbaldus regni gubernacula ſuſcepiſſet, magno tenellis adhuc ibi Eccleſiæ crementis detrimento fuit. Siquidem non ſolùm Chriſti fidem recipere noluerat, ſed & fornicatione pollutus eſt tali, qualem nec inter gentes auditam Apoſtolus teſtatur, ita ut uxorem patris haberet. Quo utroque ſcelere occaſionem dedit, ad priorem vomitum revertendi iis, qui ſub imperio ſui parentis, vel favore, vel timore regio fidei, & caſtimoniæ jura ſuſceperant. Nec ſupernæ flagella diſtinctionis perfido Regi caſtigando, vel corrigendo defuere. Nam crebra mentis veſania, & ſpiritus immundi invaſione premebatur. *Bed. lib. 2. Hiſt. Eccl. gentis Angl. cap. 5.*

Cùm tempore Alexandri Papæ II. inceſtuoſorum numerus increbreſceret, iidemque contumaces, & contemptores excom-

municatio

municationem Eccleſiæ vili penderent, nec recedere ab impro- A bato conjugio vellent: Deus in unum ipſorum in exemplum cæterorum diram vindictam exercuit, atque irrationabilium beſtiarum facto, quid rationali homini ſit faciendum, oſtendit. Rem geſtam ab Epiſcopo Aſparenſi Pio nomine acceptam omni fide teſtatam ſic ipſe recitat Petrus Damiani in Epiſtola ad Alexandrum Papam electum, & ad Hildebrandum: Quidam, inquit, degener quidem moribus, ſed majorum titulis inſignitus, ſuam conſanguineam nuptiali fœdere copulavit. Quid plura? Prohibitus perſtitit, excommunicatus adhæſit, totumque eccleſiaſticæ cenſuræ vigorem nugarum puerilium fabulas deputavit. Cui hoc certè ad divinæ indignationis indicium contigit, ut panes de nuptialibus menſis in plateas ante canum ora projecti minimè tangerentur. Inſuper (ò divinæ animadverſionis pavenda ſeveritas!) dum rigidus ſtat, dum præceptis ſacerdotalibus ſe non humiliat, qui vigilare ſibi ad ſalutem noluit, in cubiculo dormientem repentè de cœleſtibus irruens fulmen extinxit. Sic divini furoris expertus eſt moriendo ſententiam, qui vulneri ſuo, dum viveret, adhibere contempſerat medicinam. *Ex Petr. Dam. epiſt. ad Alex. PP.* B *Bar. tom. 11. ad an. Chr.* 1065, 23.

Grimoaldus Dux filius Theodonis Ducis Bavariæ fratris Theodoaldi viduam ſibi in uxorem copulaverat: quòd cùm Corbianus Friſingenſis Epiſcopus cognoviſſet, Principi per dilectum ejus cubicularium demandavit, nequaquam ſe faciem illius videre velle, antequam laſcivam conjugem à ſe expelleret. Sed cùm Epiſcopi dictis conſentire nollet, ipſe in ſua perſeveravit ſententia, eique egregii prædicatoris Pauli ea verba demandavit, inter cætera: Quia neque adulteri, neque fornicatores regnum Dei poſſidebunt. Illa autem funeſtæ Herodiadis ſequens exemplum, de morte viri Dei cum malevolis quibuſdam tractare cœpit. At vir Dei meminerat pro tali crimine Joannem increpaſſe Herodem propter Herodiadem, quam tulerat fratri ſuo viventi uxorem, atque ob hoc ab eo interemptum eſſe: ideòque nullatenus in tantùm facinus ſe conſentire prædixit, anteque ſe eſſe potiùs moriturum. Sic ergo quadraginta diebus ab eorum ſe ſubtraxit obtutibus, eoſque per ſuos jugiter admonere non deſtitit, ut tam execrabile conjugium relinquerent; congruiſque temporibus jam quidem ſi converterentur ad pœnitentiam, blandis C ſermonibus Dei regnum promiſit; porrò ſi permanerent in malitia, terrorem magni judicii Dei, æternumque eis citò ventorum minabatur ſupplicium. Tandem omnipotentis Dei conſolante clementia, perduxit eos ad promiſſionem ſeparationis ſuæ. Tunc vir ſanctus in Domini Jeſu Chriſti confiſus gratia eos fecit ad ſuam venire præſentiam: qui venientes humi ſe proſtraverunt ambo, & extenſis ad pedes ejus brachiis, ſe graviter peccaſſe, ſe nimirum reos eſſe confeſſi ſunt, & ita pura confeſſione ad pœnitentiæ confugerunt remedia. Quorum capitibus vir Dei manus imponens, ſigno æternæ ſalutis eos munire curavit, ex humo eos erigens, tum graviter pœnitentiam deſignavit, viam eis ſalutis oſtendit, remediorum ſolatia eleemoſynarum largitate, jejuniorum, & orationum frequentia adipiſcenda monſtravit, & ut ampliùs peccare caverent, ſolicitè præmonuit: ſicque domum ingreſſi communiter ſumpſerunt cibum: ſicut autem à menſa Principis vir Dei alimoniam corporis ſumpſit, ita illis alimoniam animarum prædicando verbum Domini miniſtravit. Verùm cùm non longius (ut par erat) à ſe fœminam illam Grimoaldus ablegaſſet, reverſus ad vomitum, ulciſcente D numine, in ſe, ſuoſque Dei vindictam miſer expertus eſt: ſiquidem illa nec ſubtrahere virum Dei hauſtu veneni, cùm cogitaret, & opere explere curaret, defendente Domino vir ſanctus periculum impendens evaſit, vindicta autem in domum ejus converſa eſt. Quæ autem (inquit) tales inſidias fuerit ſecuta vindicta, ſilentio non eſt prætermittendum, Filius Grimoaldi quem nefando crimine machinis diaboli incantaverat, rebus exceſſit humanis: eoque mortuo, Grimoaldus ab inſidiatoribus interfectus eſt. Prædictus Ninus, qui necem Epiſcopo per venenum ſcilicet afferre voluit, probroſa morte vitam finivit: cùm enim ventrem purgaret, lancea percuſſus interiit. Ad ultimum verò Phildrud Carolum Martellum ſcilicet in Gallias ſequens, pro meritis ejus ab eo repudiata omnem honorem & gloriam perdidit, propriiſque exuta ſubſtantiis, noviſſimè nihil niſi unum aſellum ad ſubvectionem poſſidens, in Italia vitam finivit: nati ejus, qui ex illius prodierant utero cum multa tribulatione regno privati vitalem amiſerunt ſtatum. *Ex hac Aribone in vita S. Corb. Bar. tom. 9.* 724.

Terribile etiam quiddam in Valeriæ Provincia contigiſſe, vir vitæ venerabilis Maximianus Syracuſanus Epiſcopus E narrare conſuevit, dicens: Quidam curialis illic ſacratiſſimo Paſchali ſabbatho juvenculam cujuſdam filiam baptiſmate ſuſcepit. Qui dum poſt jejunium domum reverſus, multoque vino ebriatus eandem filiam ſuam ſecum manere petiit, eamque nocte illa (quod dictu nefas eſt) perdidit. Cùmque manè facto ſurrexiſſet, reus cogitare cœpit, ut ad balneum pergeret, ac ſi aliquod balneum lavaret maculam peccati. Perrexit igitur, lavit, cœpitque trepidare, an Eccleſiam ingredi vellet, ſcilicet ſi tanto die non iret ad Eccleſiam, erubeſcebat homines: ſin verò iret, pertimeſcebat judicium Dei. Vicit itaque humana verecundia, perrexit ad Eccleſiam: ſed tremebundus, ac pavens ſtare cœpit, atque per ſingula momenta ſuſpectus, quod hora illa immundo ſpiritui traderetur, & coram omni populo vexaretur. Cùmque vehementer timeret, ei in illa Miſſarum celebritate quaſi adverſi nihil contigit, qui lætus exiit: & die altero Eccleſiam jam ſecurus intravit, Factumque eſt, ut ſex continuos dies lætus, ac ſecurus procederet, æſtimans quòd ejus ſcelus Dominus, aut non vidiſſet, aut viſum miſericorditer avertiſſet. Die autem ſeptimo ſubita morte defunctùs eſt: cùmque ſepulturæ F traditus fuiſſet: per longum tempus cunctis videntibus de ſepulchro illius flamma exiit: & tamdiu oſſa ejus concremavit, quouſque omne ſepulchrum conſumeret, & terra, quæ in tumulum collecta fuerat, defoſſa videretur. Quod videlicet omnipotens Deus faciens oſtendit, quid ejus anima in occulto pertulit: cujus etiam corpus ante humanos oculos flamma conſumpſit. Qua in re nobis quoque hæc audientibus exemplum formidinis dare dignatus eſt; quatenus ex hac conſideratione colligamus, quòd anima vivens aſſentiens pro reatu ſuo patitur, ſi tanto ignis ſupplicio etiam inſenſibilia oſſa concremantur. *Gregor. lib. 4. Dialog. cap.* 32.

Otho Imp. Cùm expeditionem militarem crebriùs duceret per Italiam, prodit ad pedes ejus mulier querula, quòd per vim paſſa eſſet ſtuprum, rogans juſtam legum vindictam. Ille feſtinabundus, pollicetur in reditu ſe jus redditurum. Ejulans mulier, Quis tum, inquit, faciet te Dominum meum atrocis injuriæ memorem? Tum ille ſuſpiciens in proximum templum; Id, inquit, erit teſtis inter te, & me, & in ſignum juſtæ ultionis. Poſteà reverſus, quamprimùm oculos con- G jecit in templum recordatur delatæ quæſtionis, & juſſit advocari mulierem, quæ ubi adfuit, præveniens dixit, Rex ſereniſſime, vir, de quo ſum olim queſta, nunc meus eſt maritus, peperique ex eo; & injuriam abolevi. Non ſic, inquit Rex, per Othonis barbam ſentiet dolabram. Nam inter vos facta colluſio ſacris legibus non imperat, juſſitque virum ſecuri percuti. *Crantz. Metrop. l. 3. c.* 12.

Sed ſuperat priora omnia, quod ſubiicimus, memoria ſæculorum dignum exemplum.

Herkinbaldus vir magnificus, perpotens, & illuſtris in judicio perſonas non acceptans, cauſam pauperis ut potentis, agnati tanquam ignoti, ſemper æqua lance judicavit. Hic dum graviter infirmus lecto decumberet, in proxima camera tumultum rigidum, clamoreſque fœmineos exaudit. Cui quidnam eſſet ſciſcitanti, ab omnibus celata eſt veritas. Sed tandem quidam ex pueris, ut veritatem panderet ſub oculorum evulſione commonitus, pavens aſſeruit. Reſpondebo, Domine, filius ſororis veſtræ, quem omnes poſt vos primum timent, colunt, & venerantur, puellam oppreſſit, & hæc fuit cauſa cla- H moris. Quo audito, & re planè cognita ſenior ſuum nepotem cariſſimum ſuſpendi mandavit. Quo Seneſcallus, cui id juſſum fuerat ſe facturum ſimulans egreſſus juveni nunciavit admonens eum, ut ad tempus lateret. Poſt horas autem aliquot Seneſcallus ad infirmum rediens ſe impleviſſe, quod juſſerat, mentitus eſt. Quinto verò die juvenis æſtimans avunculum de culpa immemorem aperto oſtio cameræ introſpexit. Quem ut infirmus vidit blandis verbis advocans ad lectum reclinare permiſit. Herkinbaldus itaque arrepta capillorum Cæſarie ſui conſanguinei caput læva manu retorquens, & dextera cultellum gutturi ejus, validè infigens, zelo juſtitiæ occidit eundem. Sanè dum morbum Herkinbaldus letiferum eſſe perſenſit, vocatur Epiſcopus, qui poſtquam cum Sacramentis adveniſſet, infirmus cum lachrymis multis, & magna cordis contritione omnia peccata ſua nudè confeſſus eſt tacita dumtaxat morte, quam paucis ante diebus ſuo cognato intulerat. Super quo Epiſcopus eum redarguens dixit. Quare celas homicidium, quo nepotem manu tua peremptum vita carere feciſti? Ad quod infirmus reſpondens ait: Neque ego hoc

peccatum eſſe judico: neque id mihi à Deo remitti poſco. Cui A Epiſcopus: Confitere crimen, & Deus miſerebitur tui, alioquin ab edulio Corporis Chriſti te convenit abſtinere. At illi vir nobilis dixit: Atteſtor Deum, quòd nepotem mihi cariſſimum non livor, non odium, ſed juſtitiæ zelus traxit ad mortem, & ſi ob id viaticum mihi negaveris, ſpero ſaltem ſpiritu aliter communicare. Quo audito & languente non ſacramentaliter refecto, Epiſcopus recedebat, cui mox revocato dixit infirmus: Si in capſella ſit Sacramentum corporis Chriſti perquire. Et dum aperta pixide non appareret, ſubjungit ægrotus. Ecce quem mihi abnuens tecum portaſti non ſe mihi denegavit. Et illico apertis dentibus, hoſtia in ore illius palàm omnibus demonſtratur. Quòd ut vidit Epiſcopus magnificans Deum, tantum miraculum, quod divina diſpenſatione ob meritum juſtitiæ factum non ambigitur, ad aures Chriſtifidelium pervigili cura deduxit.

☞ *Vide in Loco de Pœna, & Punitione mala.*

Subditus. Subjectus.

B Definitio, & Etymologia.

Subditus, Græc. ἀρχόμενος, & ſubdo, ὑποτάσσω dicitur. Subditi propriè dicuntur, qui ratione domicilii ſubiiciuntur. *Gloſſ. in Clem. una de foro compet. de ver. ſubditis.* Alioquin generaliter ſubditi, vel ſubjecti ſunt, qui ſe aliorum poteſtati commiſerunt, vel qui ab aliis in poteſtatem ſunt redacti, unde ſubjectio alia eſt ſpontanea, alia coacta. ☞ *Vide infra Tit. de ſubjectione in judiciis.*

Subjectio Spontanea.

Cùm Cyrus Rex Perſarum Judæis, Duce Zorobabele, licentiam dediſſet domum redeundi, & templum reædificandi: redierunt tantùm XLII. millia 462. Reliqui maluerunt in ſervitute Babylonica divites permanere; quàm relictis poſſeſſionibus ſuis in patria liberi, & pauperes vivere. *Joſeph. lib.* 11. *c.* 1.

Ægyptii fame coacti ſe, ſuoſque agros Regi Pharaoni in perpetuam ſervitutem addixere. *Gen.* 47.

Præ cæteris Jones præcipui inter ſervos habiti, & velut in C ſignia mancipia nobilitati ſunt. Quare Callicratidas Lacedæmonius interrogatus, cujuſmodi ſibi viderentur Jones, reſpondit. Frugi ſervi, liberi utique mali. *Alex. lib. 3. cap.* 20.

Interfecto per inſidias Polycrate Samiorum tyranno ab Orœte præfecto Sardiorum, Meandrius ſcriba à Polycrate cuſtos domi relictus, advocata omnium civium concione, ſuaſit illis, ut Democraticum Reipub. ſtatum amplecterentur, liberati à tyranno. At populus tumultuari, ac interceptæ pecuniæ Mæandrium accuſare cœpit. Itaque Mæandrius in arcem regreſſus, reputans fore, ut ſi ipſe dominatum deponeret, alius quiſpiam in ejus locum tyrannus conſtitueretur, non deponendum ſibi dominatum ſtatuit: ſed cùm illi liberi eſſe nollent, tyrannidem retinuit, donec à Perſis, qui Syloſontem fratrem Polycratis reducebant, regno pulſus fuit. *Herod. lib.* 3.

Romanus Senatus Cappadociam Mithridati ademi, & Paphlagoniam Nicomedi, juſſitque utranque gentem liberam eſſe. Sed negantibus Cappadocibus ſe ſine Rege eſſe poſſe, Ariobarzanes à Senatu Rex conſtitutus eſt. *Sab. lib. 3. En.* 6. Ea res ſtupenda Romanis viſa eſt, quibus regia poteſtas exoſa, & arbitrium populi pro libertate fuit. *Strabo lib.* 2.

D Peneſtæ dicuntur apud Theſſalos, non natura ſervi, ſed à Bœotiis orti, quòd Arnæ à Theſſalis victi, ſervire illis non recuſaſſent, & ad tertiam uſque ætatem, ex loco delectati, remanſiſſent. Tradiderunt autem ſeipſi jurejurando interpoſito, ut neque opus facientes malè tractarentur, neque è regione illa excederent. Et à manendo μενέται, poſteà mutata litera πενέσται ſunt dicti. *Suidas ex Athen. lib. 6. cap.* 7.

Poſidon. Stoicus lib. Hiſt. 11. Multi, inquit, cùm ſui ipſorum Domini eſſe non poſſint ob animi imbecillitatem, ſe in prudentiorum Dominorum ſervitium exhibent, ut ab illis ſtudium conſequantur, quod ſpectat ad parandas res neceſſarias: atque ipſi contrà illis tribuunt, prout ſervire poſſunt. Quomodo Mariandyni ſeſe Heracleotis ſubjecerunt, promittentes, ſe pro mercede ſemper eſſe ſervituros, ſi ſibi neceſſaria ſuppeditarent: ſtipulatione caventes, ne ullius eorum fieret venditio extra regionem Heracleotarum, ſed in ipſa ſolùm propria regione. *Athen. lib. 6 cap.* 7.

Eſt ſervitutis imago quædam, ubi Quis principis alicujus ligium ſe hominem facit, ac in illius verba jurat, quod Neapolitanis regibus in uſu eſſe tradunt, teſte Valla. Dicitur ligius, quia illum princeps, pollices ejus ſuis ligans, fidei, impe- E riiſque ſuis vincit, ac obnoxium facit. Juriſconſulti recentiores inter genera feudorum, quæ à fide augurantur dici, ligium habent. *Cæl. lib. 25. cap. 15. A. L.*

Invita.

☞ *Pleraque exempla ſeq. huc facient.*

A quibus imposita. A

Magiſtratu.

Agesilaus Rex Spartanorum omnes Aſianos Regi Perſarum ſubditos, per jocum dixit unam ſyllabam. Non, proloqui non poſſe. *Plut. de Nimia verec.*

Cyzicenis, cùm Mithridatico bello ob inſignem operam libertatem meruiſſent, poſteà Tiberius Cæſar, quòd inſolenter in cives Romanos ſe geſſiſſent, libertatem ademit, & ſtipendiarios fecit. *Alex. ab Alex. lib. 4. c.* 10. F

An. Sal. 1440. in Marchia Brandeburgenſi cùm cives Berlinenſes in ſuum tumultuarentur magiſtratum: Fridericus Marchio interveniens, impoſuit urbi arcem, frænum libertatis. *Crantz. lib. 12. Vand. cap.* 10.

Nobiles, Magnates, Præfecti, Primoreſque, & Conſiliarii Moſchi, omnes ſe Clopos, id eſt, abjectiſſimos & viliſſimos ſervos magni Duci fatentur, & bona ſua omnia mobilia, & immobilia, quæ propriè poſſident, non ſua, ſed Magni Ducis eſſe dicunt. Ut autem equeſter ordo à Magno Duce, ſic etiam plebejus, & civilis à Nobilibus, & Magnatibus graviſſimè premitur. Colonorum enim bona, & civium, militum, & nobilium prædæ expoſita ſunt, & per contemptum nigri homines ſive Chriſtiani communiter appellantur. Sex dies coloni in ſeptimana Dominis ſuis laborant, ſeptimus dies privato labori conceditur: neque hi ſtrenuè laborant, niſi benè verberati. Habent autem à Dominis ſuis certos attributos agros, & prata, ex quibus vivunt, tributaque annua ſolvunt. Artifices ſecundum præſcriptum parvo laborem ſuum vendunt: cùmque annonæ pretium excreſcit, artifices ita frigent, ut vix panem opera unius diei acquirere poſſint. Cives, & mercatores graviſſimis, & intolerabilibus tributis, & exactionibus adinventitiis onerantur. G Quòd ſi Magnus Dux aliquem mercatorem paulò ditiorem eſſe reſciverit, falſis teſtibus accuſatum in vincula conjicit: & ſi ſe innocentem eſſe clamitet, Dux reſpondere ſolet. Anima teſtium, qui te accuſaverunt, ſciat: mea verò nihil refert. Ergo juſſu Principis tamdiù verberatur, donec præſcriptam ſummam numeret. *Guaguin. in deſcript. Moſc. cap.* 4.

Tyrannis preſſi.

☞ *Vide Tit. Tyrannorum. Illic Agentis, hic Patientis habetur ratio.*

Hoſtibus domiti.

Antiocho Magno in Aſia regnante, in continua vexatione tam Judæa fuit, quàm Cœleſyria: quòd eo bellum gerente cum Philopatore Ptolemæo, hujuſque filio, qui Epiphanes cognominatus eſt, ſive vinceret, ſive vinceretur, malè mulctaretur, non aliter quàm navis fluctibus utrinque oppugnata, inter proſperam, & adverſam Antiochi fortunam jactatæ. H Tandem victor Antiochus Judæam ſuæ ditioni adjecit: Defuncto verò Philopatore, filius ejus magnum exercitum duce Scopa miſit in Cœleſyriam: qui & multas ejus urbes, & Judæos vi in poteſtatem Ptolemæi retraxit. Aliquanto autem poſt Antiochus ad fontes Jordanis cum Scopa prælio congreſſus, recepit occupatas à Scopa urbes Cœleſyriæ ſimul, & Samariæ: Judæi quoque ultrò deditionem fecerunt: receptumque intra mœnia ejus exercitum, & elephantos liberaliter aluerunt: & oppugnantibus præſidium in arce à Scopa relictum impigrè auxilium tulerunt. *Joſeph. lib. 12. cap. 3. Antiq.*

Pugnantibus contra Ariſtobulum Regem inteſtina ſeditione germanis, & gentem Judæorum in diverſa ſtudia trahentibus, ſupervenit C. Pompejus Dux Romani exercitus: captaque Hieroſolyma, uſque ad adyta templi ingreſſus eſt, quæ vocabantur Sancta Sanctorum, victumque Ariſtobulum Romam miſit, ſervans triumpho ſuo, & pontificatum Hircano fratri ejus tradidit. Tunc primùm gens Judæorum Romanis facta eſt tributaria. *Hieron. in Daniel. c.* 9 Regionem de Syris bello captam reddere coacti, inſuper plus quam decem millia talentorum

brevi tempore Romanis pependerunt : & regnum, quo priùs A pontificale genus honeſtabatur, ad plebejos translatum eſt homines. *Joſeph. lib. 14. cap. 3. Antiq.*

Perſæ ſervire primò cœperunt Romanis ſub ALEXANDRO Severo, qui de Artaxerxe Rege potentiſſimo triumphavit, anno Chr. 225. *Lampridio teſte.*

Mileſii, qui primi Heracliam condiderunt, Mariandynos in ſervitutem redegere, ut etiam ab eis in contemptum venderentur. *Strabo lib. 12.*

Athenienſis populus ſervivit Macedoniæ Regibus, Carthago Romanis, poſt & Vandalis. Ipſa mundi caput Roma, preſſis tandem cervicibus, Gothorum jugum ſerviliter traxit. Non multis antè annis Conſtantinopolis cum reliqua Græcia religandas manus Turcarum inſolentiæ præbuit. *Pontan. lib. 2. cap. 7. de Fortitudine.*

Græciam opibus florentiſſimam ſub Macedonum ſervitutem diſcordia redegit, & validiſſimæ nationi impoſuit regnum Macedonicum ignobile, & obſcurum prius Græciæ ipſius angulum, ac velut acceſſionem. Nam victores Athe- B nienſes magnam Græciæ partem imperio ſuo adjunxerunt. Hi à Lacedæmoniis ſunt victi. Thebani Lacedæmonios vicerunt, & Phocenſes. Hoc cùm, præter clades bello illatas, graviſſima etiam accuſatione apud commune Græciæ totius Concilium Thebani victores premerent, mulctaque eſſet Phocenſibus, quantam ſolvendo non erant, dicta gens in deſperationem acta bellum in Thebanos concitavit, quod Græciam totam involvit. Cui bello admiſtus Philippus, occaſionem invenit jugum imponendi ei nationi, cui omnia ſuperiora bella pro libertate fuerant geſta. *Lud. Vives de Concordia, & diſcordia lib. 3.*

In Laconia ad mare oppidulum fuit Helos, cujus eſt apud Homerum in numeratione navium mentio:

Quiſque mari vicinum Helos, & quis patria Amyclæ.

Huc deduxit coloniam HELIUS Perſei liberorum natu minimus. Poſteà Dorienſes per obſidionem ſunt oppido potiti, ex quo primum publici extitere Lacedæmoniorum ſervi, qui ſunt à loco Ilotæ, vel Helotæ nuncupati. Obtinuit deinde uſus, ut cæteri etiam, qui ad ſervitiorum numerum acceſſiſſent, quamvis Meſſenii, ut priores illi, non eſſent, Ilotæ tamen & ipſi ap- C pellarentur. *Pauſ. in Lacon. & Euſtatius Iliad. 8.*

Cùm viginti annis Meſſenii cum Lacedæmoniis bellum geſſiſſent, tandem cùm Ariſtodemus rex, regni interitum prævidens, ſibiipſi manus intuliſſet, expugnata fuit Ithome arx munitiſſima, Meſſeniorum præſidium ipſi ſub jugum miſſi, & jurejurando adacti, primùm, ne unquam à Lacedæmoniis deficerent, deinde ut ex omnibus arationibus dimidiam partem frugum Spartam deportarent; prætereà ut cum uxoribus, veſte mutata, regum, & optimatum funera proſequerentur. *Pauſan. in Meſſenicis, & Juſtin. lib. 3.*

Romanus exercitus, T. VETURIO, & Sp. Poſthumio Coſſ. ad Caudium locorum iniquitate victus. *Sab. lib. 5. En. 4.*

Hiſpania prima omnium terreſtrium provinciarum à Romanis inita eſt, atque omnium proſtrema, Auguſti principis ductu, & auſpiciis domita. *Sab. lib. 5. En. 5.*

CLODOVEUS Francorum Rex, cùm in Belgico ad Tolbiacum Alemannos magna ſtrage ſuperaſſet, & Rheno ſuperato Germaniam penè totam ſibi ſubjeciſſet, ne cum libertate animos recipere poſſent, jugo ſervitutis graviſſimo eos preſſit *der-Seibeigenſchafft*, quæ tu primum cœpit, & ex hoc fonte D ſenſim in Germania derivata etiamnum hodie durat. Fiſcalinos vocabant, quaſi corpora & bona illorum fiſco regio deberentur. Principes ex Clodovæi poſteritate hanc ipſam ſervitutem ratam habuere : & porrò etiam Feudatariis ſuis non tantùm poſſeſſiones, ſed & corpora ſubditorum elocavere. Qui Eccleſiaſticis donabantur, Servi Eccleſiaſtici dicebantur, *Stumpfius.*

Picti, pulſis crudeliter è Britannia Scotis, quorum opera & auxilio multis annis floruerant, à Romanorum legato Victorino Romanas leges amplecti coacti, cum Heirguſtus rex præ mœrore ſibi mortem conſciviſſet, Durſtum Heirguſti F. Regem fecere. Cæterùm rege Cameloduni capto, Romamque miſſo, conjurati virgis cæſi ſecuri ſunt percuſſi, Rei pecuariæ, & frumentariæ quartam Cæſaris procuratori, vectigalis nomine, quotannis pendere juſſi. Ad metalla, & latomias & lateres faciendos coacti : magna agri parte, quam Scotis ejectis obtinuerant, mulctati : aggerem cum altiſſima foſſa ab Orientali mari ad Hibernicum ducere juſſi, qui Pictorum regnum à Britannis divideret : eum, qui magiſtratus injuſſu tranſcendiſſet, capite lueret. Servitutis hujus indignitate moti Picti perfidiæ ſuæ in Scotos pœnitentia ducti, Ferguſium regio Scotorum ſanguine na- E tum, in Dania exulantem, quadrageſimo quarto poſt anno ad regnum avitum repetendum evocavere. *H. Boethius lib. 7.*

Moſchi Tartarorum ſervituti extremæ ita olim addicti fuere, ut legatis Tartaricis, atque etiam veredariis tributum petentibus, vel alia quavis de cauſa venientibus, cùm equis veherentur, dux ipſe pedeſter obviàm prodiret, & lactis equini (qui potus eſt Tartaris gratiſſ.) poculum venerabundus porrigeret : ſi qua gutta inde in jubam equi diſtillaſſet, eam lamberet : interpreti legenti literas Imperatoris ſelectam veſtem ſabellinam ſubſterneret, ipſe cum pauperibus eas legi auditurus genua flecteret: nec ullum tyranni imperium detrectaret, etiamſi bellum contra Chriſtianos fœderatos, aut neceſſarios ſuſcipere juſſus eſſet. *Grom. lib. 29.*

Eò magnitudinis rem Piſanam aliquando evectam memorant, ut centum eorum familiæ illuſtres, totidem roſtratas naves privato ſumptu ædificaſſe, exornataſque ad Liguſticum bellum eduxiſſe dicantur. Verùm cùm bellica virtute, & mer- F caturæ ſtudio partis divitiis aliquandiù floruiſſent, eos demum ſuperbia opulentiæ comes, & natæ continuò ex nimia felicitate inteſtinæ ſeditiones, everſa republica tranſverſos, atque præcipites egerunt. Factumque eſt, ut attritis diſcordia opibus, atque intermiſſa obiter maritima negotiatione, per diverſa tempora variis tyrannis ſervire didicerint. Joanne autem Galeacio Vicecomite vita functo, qui ampliſſimo in Italia imperio potitus, poſt Appianum tyrannum Piſas in deditionem acceperat, cepere Piſani jampridem amiſſam libertatem reſpectare, atque eam majoribus animis, quàm viribus adversùs Florentinos tueri, qui tum ob veteres cauſas, recentibus etiam odiis accumulatas, in ea ruentis imperii Vicecomitum exoptata occaſione, graviſſimum bellum intulerant: quo Aucutus Britannus, dux bello inclytus, adeò res eorum afflixit, animoſque contrivit, ut omnibus belli calamitatibus fracti, deſtitutique à finitimis, victorum arbitrio ſe dediderint. Manſereque ſub Florentino imperio annos octoginta ſeptem : quo tempore adeò ſeverè, avarèque ab his, qui quæſtui, atque pecuniæ maximè ſtudent, imperatum eſt, ut ſeſe Carolo VIII. Gallorum Regi Piſas venienti dederint, & marmoreum leo- G nem, Florentinorum inſigne, in profluentem Arnum præcipitarint. Nam multò poſt tamen à Florentinis denuò ſubacti ſunt. *Jovius lib. 1. Hiſt.*

Florentinis an. 1512. Septembri menſe, bello ab Pontifice Julio II. Maximiliano I. Imp. & Aragoniæ Rege Ferdinando qui Mediceos Florentiam reducere nitebantur, vexatis, libertas erepta fuit : quinquaginta civibus ex Cardinalis Medicei voluntate delectis, quibus eadem in publicis rebus, quam populus univerſus habebat, auctoritas daretur, hanc tam amplam poteſtatem Florentini Baliam appellant. Quorum decreto repub. ad eam formam, in qua ante annum 1494. eſſe ſolebat, redacta, & firmo militum præſidio ad prætorium poſito, Medicei eandem potentiam reſumpſerunt : qua tamen imperioſius, & poteſtate ampliore, quàm pater ipſorum feciſſet, utebantur. Hoc modo Florentinorum libertas armis oppreſſa fuit, ad hunc ſtatum præcipuè civium ſuorum diſſidiis redacta. *Guic. lib. 11.*

Quo tempore Roma capta fuit, atque CLEM. VII. obſeſſus, Florentini familiam Mediceam ejecerant, & Gallis auxilia deinde ſubminiſtrarant, cum Neapoli bellum gererent. Reſtitutus autem Pontifex, ut ſe, ſuoſque gentiles ulciſcere- H tur, miſſa in Hiſpaniam legatione, fœdus cum Cæſare fecit, Imperii ſupremam inaugurationem ei pollicitus inter alia, ſi quidem in Florentinos, pro eo ac meriti eſſent adnimadverteret. Conditionem Cæſar accepit, neque multò poſt Genuam venit. Eò miſſi ad ipſum à Florentinis legati deprecatum. Iis Cæſar reſpondit : niſi pontificem reciperent, nullam eſſe pacis rationem. Igitur à Cæſarianis, atque pontificiis copiis obſeſſi, cum per anni ferè tempus bellum duxiſſent, certis conditionibus cum Ferdinando Gonzaga Cæſaris legato tranſegerunt. Cæſar Alexandrum Medices, cui filiam ſuam Margaritam notham in matrimonium promiſerat, principem eis dedit. Ille maximæ molis arcem ibi conſtruxit, ſervitutis ipſorum baſim. *Sleid. lib. 7.*

Nobilibus.

Apud Danos tota communitas plebis ad perpetuam, & miſeram ſervitutem nata eſſe videtur; adeòque nobilibus premuntur, ut ſæpè unus ruſticus pro cane venatico per ludibrium venun-

venundetur: cogaturque is, qui ſic venundatus eſt, cum uxore, A & filiis poteſtatem emptoris concedere, & quævis contemptiſſimi mancipii opera ſubire. *Jo. Magnus lib. 23. hiſt. Sueonum.*

Lituani gens miſera, maximè in villis, & pagis, gravi ſervitute oppreſſa. Nam quilibet famulorum caterva ſtipatus, domum coloni alicujus ingreſſus, impunè quidvis facere, res neceſſarias rapere, abſumere, crudeliter etiam verberare poteſt. Colonis quavis de cauſa ad Dominos ſuos abſque muneribus aditus non patet. Quod ſi etiam admittantur, ad Præfectos, & Officiales relegantur : qui niſi munera accipiant, nihil boni decernunt, & unumquodque verbum judicis in Lituania aurum eſt. Coloni quinque dies, aliquando ſex, Dominis ſuis laborant : dies verò Lunæ privato labori conceditur : atque ut plurimum diebus Dominicis (nulla enim Divorum feſta agreſtes obſervant) quodvis opus abſolvunt, agriculturam exercent, ſegetes, prataque metunt, triturant, & id genus alia. In Ruſſia ſi interogaveris, Quare Dominico die laboras; reſpondere ſolent, Nonne & die Dominico comedere oportet; Imperatam pecuniam quotannis ter, quaterque pro defendendis regni finibus pendunt. Interim à Dominis quoque tributis adinventitiis onerantur. *Guagnin. in deſcript.* B *Lituaniæ.*

SERVIS.

Tartari Comanos, teſte Haitono, ſubegerunt. Fuit autem Comana Cathaoniæ urbs. Et Cathaonia Cappadociæ propèmodum inſerta, fuitque olim gentis ejus caput, atque afflatorum numine, ſacrorumque multitudine ſervorum valdè inſignis. Strabo Gnoſius ad Cappadociam pertinere Cathaoniam ſignificare videtur. Planities ingens Amano, & aliis montibus undique ſepta. Id ſatis conſtat, ſupra ſex millia ſervorum Comanæ fuiſſe olim, quæ circa Deæ templum agitabant. Comani bello capti, cùm vulgò à Tartaris venderentur, ac viliſſimè, ut fama ferebatur : per negotiatores, qui eò navigare juſſi ſunt, ingentem vim ſervorum Melechaſala Sultanus in Ægyptum accerſivit. Quos diligenti cultu ad bellica, & ad urbana munera inſtructos, ita complexus eſt, ut omnium aliarum gentium opera repudiata, per hos regnum domi, foriſque adminiſtraret. Comani igitur ſervi, rege interfecto, (quæ cædes incidit in id tempus, quo Ludovicus Francorum Rex in Ægypto captus cuſtodiebatur) unum ex conſervis, C Turquemenium nomine, ſibi Sultanum, & regem crearunt. Is motus, facultatem Ludovico præbuit ſe, & ſuos commodiùs redimendi, & Ægyptus terra olim nobilis, per hunc modum ſervorum ſerva facta eſt. Cairum regiam urbem pars multò maxima colit militum, ut præſto ſint Regi, cùm opus ſit : quinque millia circiter ſunt, nec amplius, in quibus ſitum eſt omne militiæ robur. Hi Mamaluchi dicuntur, quaſi Regi ſubditi. Prædia à rege accipiunt. Horum quiſque multos numero habet ſervos, quos ad bellum diſciplina, & armis inſtruunt. Sic fit, ut ſervi apud ſervos ſervitutem ſerviant. Annuum militis ſtipendium aurei nummi centeni viceni, eſt donativum à rege, ſi ad externum bellum eatur. *Sabell. lib. 5. Ennead. 9.*

AUXILIARIIS.

Britannia annis 1040. libera ſuos reges habuit. Tandem per C. Jul. Cæſarem, Caſſivellauno principe, Romano imperio vectigalis facta eſt : fuitque deinceps paulò minus quingentis, & tribus annis, cùm Britanni id temporis deſtituti auxilio ab Ætio, qui in Galliis copiarum præfectus Theodoſii junioris fuit, à D Pictis, Scotiſque fœdere conjunctis cœperunt ſic bello premi, ut poſtquam eorum rapinas, & impetus aliquamdiù fortiter tuliſſent, ad ultimum ſuis jam diffiſi viribus, coacti ſint Anglos-Saxones, Germaniæ populos, pugnaces, atque feroces, ad opem ferendam accerſere. Sed ſecus evenit, atque putarant. Angli enim Inſulæ partem, quam illi tenebant, in ſuam poteſtatem redegerunt. Atque ita quantum mille, & amplius annos Britannicus populus creverat gloria, tantùm calamitoſa hæc temporum intercapedo eum graviter afflixit, quæ à Caſſivellauno uſque ad Anglos interceſſerat, qui imperium in inſula poſtremò obtinuerunt. *Polyd. lib. 2.*

QUOMODO.

Ariſtoteles Rhetoricor. lib. 2. ſubindicat, qui olim ſervitutem profitebantur, eos terram, & aquam Domino tradere ſolitos, velut omnium rerum jus abdicantes. Nam διδόναι γῆν καὶ ὕδωρ, δουλεύειν ἐστί, id eſt, Dare terram, & aquam, ſervire eſt. Sic Darius Perſarum Rex in Græciam Legatos miſit, Terram, & aquam petitum. E

Lombardi Alexandriam urbem ſtudio Alexandri condiderant, eamque contra Fridericum I. Imper. ſummis opibus defenderant. Pace tandem Lombardis à Friderico Conſtantiæ data, Alexandrini Legatos ad Fridericum miſerunt, Conventum Norimbergæ habentem, atque cum eo pepigerunt, cujus inter cæteras hæc quoque conditio fuit, ut cives Alexandrini omnes pro arbitrio Friderici urbe exirent, & tam diù extrà morarentur, quoad per ipſius Legatum ſolenni more introducerentur (ut actu iſto, & ille dare, & hi accipere de manu Imperatoris patriam viderentur,) utque urbem poſthac conſtanti nomine Cæſa rem appellarent. *Sigonius lib. 14. regni Italici.*

SUBJECTIO IN JUDICIIS.

Ubi varii modi recenſentur, quibus contigit quempiam alteri ſubiici, ut ab eo poſſit judicari.

Quinque modis id accidit. PRIMO, ratione poteſtatis ordinariæ : ſic fideles Pontifici, & Epiſcopis ſuis; & cives ſuo Regi ſunt ſubjecti. F

SECUNDO, ratione poteſtatis delegatæ : ſic Legato Apoſtolico ſubſunt Provinciæ, ad quas ipſius delegatio pertinet; & cives proregi, ſeu Gubernatori.

Sic DAVID judicavit ſenes poteſtate ſibi à Deo delegata. *cap. 13.*

Sic quoque MOYSES Ægyptium, juxta probabiliorem ſententiam. *Exod. 2. teſte D. Auguſtin. l. quæſt. in Exod. quæſt. 2.* & apertè colligi videtur *Actor.* ubi Stephanus ait : Fecit ultionem ei, qui injuriam ſuſtinebat percuſſo Ægyptio, exiſtimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipſius daret ſalutem illis.

TERTIO, ex conſenſu partium, ut quando partes ex compromiſſo ſe alicui ſubiiciunt, ſive ut Judici (ut ſi ille aliàs auctoritatem judicandi habebat, etſi non in illos) ſive ut Arbitro, *de quo vide Sylv. v. Arbiter.*

QUARTO, ratione delicti in alieno loco perpetrati : nam ratione delicti ſortitur quis forum, *cap. Poſtulaſti 13. & cap. fin. de foro compet. ubi Gloſſa v. Ratione delicti.* Simili modo ſortitur, quis forum ratione contractus domicilii, & rei, de qua contra poſſeſſorem cauſa movetur, *ut eod. cap.* dicitur.

QUINTO, ratione injuriæ, ſubdito alterius Principis illatæ G ſi enim ſuperior ejus, qui injuriam fecit, interpellatus, nolit eam judicare, poterit id facere Princeps ejus, qui injuriam accepit.

☞ *De Subditis multa dici poſſunt, prout illi erga ſuos Principes, Magiſtratus, Superiores Æquales : aut è converſo, hi omnes, aut eorum quilibet erga iſtos, ſe vel benè, vel malè habent. Unde multa peti poterunt ex Locis de Clementia, Crudelitate, Obedientia, Inobedientia, Perfidia, Amore, Odio, Inimicitia, Humanitate. Item ex Loco de Imitatione, Exemplo, & his ſimilibus, quorum argumenta in ſubditos cadere poſſunt.*

SUBJECTIO TEMPORANEA.
HUC PERTINENT

OBSIDES, TANQUAM PIGNORA PUBLICÆ FIDEI.

☞ *Obſides Servitutis nomine huc pertinent. At reſpectu Fidei, cujus pignora ſunt, ad locum Fidei referri poſſunt.* H

SIMEON obſes datus Joſeph à novem fratribus, donec illi adducerent fratrem Beniamin, fidemque facerent, ſe non eſſe exploratores. *Geneſ. 42.*

PTOLEMÆUS Ægypti Rex intulerat Alexandro apud Macedonas roganti bellum. Uterque autem Pelopidam Thebanũ diſceptatorem, & judicem acciverat : deinde ſocium, & adjutorem ejus, qui lædi videretur. Hic adventu ſuo cùm controverſias finiviſſet, exuleſque reduxiſſet : Philippum, Regis fratrem, obſidem, prætereàque pueros triginta alios ex primoribus accepit, atque Thebas duxit, oſtentans Græcis, in quantum faſtigium aſcendiſſet Reſpubl. Thebanorum ſplendore potentiæ, & fide juſtitiæ. Hic ille eſt Philippus, qui cum Græcis inſecutis temporibus de libertate eorum arma conſulit. Id temporis puer apud Pammenem hoſpitium habuit. Inde æmulus Epami-

Epaminondæ habitus eſt: notata fortaſſe in militia, & imperio ejus ſtrenuitate. *Plut. in Pelop. Diod. lib. 15.*

Poſt Agin bello ſuperatum Antipatro poſtulanti obſides Pueros quinquaginta, Etcocles, qui tum Ephorum agebat, reſpondit: Se pueros non daturum, ne ſi licenter vixiſſent, fierent indociles patriæ diſciplinæ, itaque ne cives quidem eſſent. Cæterùm ſenes, ac mulieres ſe duplo numero daturum. Verùm Antipatro dira minitanti, ni acciperet poſtulata, populus una voce reſpondit: Si imperas acerbiora morte, faciliùs moriemur. Nempè licenter educatos juvenes non putarunt habendos pro civibus: perinde quaſi mater abdicet filium ex ſe natum, niſi probitate morum majoribus ſuis reſpondeat. *Plut. in Lacon.*

Cleomenes Spartanorum Rex à Ptolemæo Ægyptio auxilia contra Antigonum Macedonem impetravit, Liberis ſuis, & matre Crateſiclea obſidibus datis. *Plut. in Cleon.*

Virgines Romæ obſides Porſenæ datæ, deceptis cuſtodibus, uno agmine Tiberim tranſnatarunt. Feruntab iis impetraſſe, quorum cuſtodiæ creditæ erant, ut liceret ire ad flumen ſe lotum, rogaſſeque ut tantiſper ab intentione oculorum abſtinerent, dum poſitis veſtibus ſe fluviali aqua abluerent, ne nudæ conſpicerentur. Atque ita Clœliæ hortatu in ulteriorem ripam nando evaſiſſe. Illud à fide minus abhorret, incidiſſe eas in fluviale aliquod navigium, vicinæ caſtris ripæ alligatum, quo ad ſuos occultè trajecerint. Clœliæ equeſtris ſtatua publicè poſita eſt, quo argumento adducti quidam equo eam fluvio tranſvectam prodiderunt. At ſic una ſervata eſſet, non omnis obſidum cœtus. Livius Clœliæ id datum credit. *Plin. lib. 34. cap. 6. & Plut.* Val. Pub. Valerii, qui tum Conſul erat, filiæ. *Sabell. lib. 7. En. 2.*

Volſci, cum quibus Latino bello nec pax fuerat, nec armis diſceptatum, quia tamen ex confeſſo in Romanos exercitum comparaverant, bello ſunt à Conſulibus petiti. Cæterùm inopinata re perculſi, trecentorum Principum filios, à Cora, & Pometia obſides Conſulibus dederunt. Quibus Romam reverſis, vix paucis interjectis diebus, bellum occultè repararunt. Eos Publ. Servilius conſul repreſſit foris, domi autem Appius Claudius, ut Volſcorum ſupplicium aliis documento eſſet, ne datis obſidibus fœdera violare ampliùs auderent, trecentos ejus gentis obſides in foro ſecuri percuſſit. *Sab. lib. 7. Enn. 2.*

Tarentinos obſides, qui Romæ in atrio Libertatis cuſtodiebantur, ſub noctem urbe dilapſi, domum fugam intenderant. Qui poſtridie ex Taracina Romam retracti, in foro priùs virgis cæſi ſunt, atque de ſaxo præcipitati. Cujus atrociſſimi ſupplicii fama Tarentum delata, in cauſa fuit, ut maturata ſit proditio, & Hannibal in urbem noctu receptus, anno decimo ſecundi belli Punici. *Sab. lib. 3. En. 5.*

Bello Punico ſecundo Sagunti erant totius Hiſpaniæ obſides, idque unum pignus Hiſpanorum animus à Romanorum ſocietate, ad quam amplexandam alioqui propenſi erant. Hiſpani, metu arcebat, ne defectionis culpa filiorum ſanguine lueretur. Cæterùm Acedux, homo Hiſpani generis, qui tum Sagunti erat, ad Romanos tranſiturus, Boſtari Pœno, qui arcem præſidio obtinebat, perſuaſit, ut ad Hiſpanorum animos beneficio occupandos, ultrò illis obſides reſtitueret: expediturum id rei Punicæ demonſtrans, ſi priuſquam favor ad hoſtes apertè inclinaſſet, populorum, & principum ſtudia obſidum reſtitutione in priſtina fide retinerentur: quando omnes ſibi credi vellent, fideſque habita fidem obligaret. Pollicitus ad id Acedux ſuam operam, ſi cura ſibi puerorum, domum reducendorum eſſet delegata. Aſſenſus eſt Boſtar Aceducis conſilio, tempuſque, & modum inter ſe conſtituerunt. Placuit noctu, ne Romani ſentire poſſent, puerile agmen deductum iri. Ille verò cum Scipionibus de tota re colloquium occultè habuit, promiſſaque obſidum traditione, docuit, qua hora noctis, & qua regione, cùm obſidibus ex urbe egreſſurus eſſet, atque ita velut imprudens in inſidias delatus, cùm pueris in caſtra perductus eſt. Obſides non parva Romanorum gratia, eo ordine, quo à Pœnis reſtituendi erant, per Aceducem ſunt ad ſuos reducti. *Sab. l. 1. En. 5.*

Augustus Cæſar à quibuſdam novum genus obſidum Feminas exigere tentavit, quòd negligi marium pignora ſentiebat. Et tamen poteſtatem ſemper fecit omnibus, quoties vellent, obſides recipiendi. *Suetonius.*

Constantinus à Maximiano adoptatus, ut fraternæ fidei certum Galerio Maximino, à Diocletiano adoptato, pignus daret, Conſtantinum filium, qui poſteà imperavit, ex Helena uxore ſuſceptum, obſidem dedit, eo nomine, ut prima illo duce rudimenta militiæ poneret. Nam quindecim tum annos agebat. *Sigon. lib. 1. Imp. occid.*

Oſtrogothorum Reges Valemirus, & Theodemirus (qui, Hunnis Atilæ filiis ſuperatis, in Pannoniis conſederant ad Danubium) Illyrium vaſtabant. Leo Imp. Pannoniis, Mœſiaq; permiſſis, fœdera cum illis iniit: & obſidem accepit Theodericum, Theodemiri ex Arilena concubina filium; Leo ut gentem libertate alliceret, Theodericum ex obſide liberum fecit, regio indumento, comitatuque deductum. Accepit libens Theodemirus tantum munus, & (quod tacentem Leonem deſiderare intellexit) induciarum fœdera in pacem commutavit. *Crantz. lib. 3. Sveciæ, cap. 9.*

Cùm expugnata, direptaque à Caroli V. exercitu ann. 1527. Roma, Clemens VII. Pont. arcem, in quam confugerat, ea conditione dediſſet, ut militi ſtipendia perſolveret: magnis rei nummariæ difficultatibus coactus eſt obſides dare, quos ipſi milites delegiſſent. Ii fuere Cardinalium Propinqui, virique maximè pecunioſi. Horum manibus ferreæ catenæ ſtatim injectæ, vinctique in Pompejana domo cuſtoditi: ſed tandem Pompeii Columnæ aſtutia liberati fuerunt, Germanis cuſtodibus opipara ab eo cœna exceptis, multòque falerno conſopitis. *Jovius in Pompejo.*

Francisc. Galliæ Rex filios duos, quos ad Ticinum captus Carolo V. Cæſ. obſides dedit, ducentis aureæ monetæ myriadibus redemit. *Jov. lib. 26. Hiſtor.*

SUBJECTIO QUOAD VOLUNTATEM, ET CONSILIA ALIORUM.

IN THEORICIS.

Aristoteles in quæſtione de numero ſphærarum cœleſtiũ *lib. 2. Metaphyſ.* hæſitans, & ad Aſtrologos tanquam judices idoneos recurrens: non alias hypotheſes, quàm Eudoxi, & Capilli, & ſuas de concentricis orbibus numeravit, neque tamen ſibi ſatisfecit: Itaque ad primum mathematum fontem, ad Aſſyrios videlicet, recurſum eſt. Alexander Aſiam tum fulminabat, & Calliſthenes pro Ariſtotele datus Alexandro, monitus eſt, ut ſi Babylon caperetur, Aſtrologia Babyloniorum à Chaldæis exquireretur, atque in Græciam mitteretur. Hæc enim optima Orientis ſpolia à philoſopho expetita ſunt. Et certè Babyloniæ obſervationes annorum 1903. ad Ariſtotelem à Caliſthene miſſæ memorantur. *P. Ram. lib. 1. proœm. math.*

Origenes in Iſaiæ Prophetæ interpretatione cùm, quænam urbs Ariel eſſet, ambigeret, Hebræum quendam Rabinum conſuluit, ejuſque judicium ſecutus eſt. *Fulg. lib. 8. cap. 13.*

D. Auguſtin. in enarrandis calamitatibus, quæ ante Chriſti religionem Romano imperio accidere, Pauli Oroſii hiſtoriam ſecutus eſt. *Fulg. lib. 8. cap. 13.*

Mahometus homo illiteratus prorſum, habuit magiſtros, & conſultores Chriſtianos duos Sergium Monachum Arianum, & Joannem Neſtorianum: cum Judæo Thalmudiſta. Sergius illi pertinaciam Arianam, Joannes Neſtorianam, Judæus commenta Thalmudica commendavit. Ergo ut faciliùs ad ſe omnes nationes traheret, ex Judæo tradidit circumciſionem, ex Chriſtianis frequentes ablutiones, & quaſi baptiſmata: & Chriſtum negavit eſſe Deum, etſi Dei verbum eſſe fateatur. *Lud. Vives de Veritate fidei lib. 4.*

Bartolus IC. neotericorum princeps, cùm quid commentaretur, neque leges in promptu reperiret, Franciſcum Tigrĩ Piſanum profeſſorem conſulebat. *Richardus ex Diplomatio*, recitat.

IN PRACTICIS.

☞ *Obedire alteri, hujus eſt loci. Ut hoc vel rectè, vel ſtultè, vel libidinosè, vel crudeliter fit, ad alios, atque alios titulos referri debet.*

Christi Salvatoris auctoritatem apud ſuos Diſcipulos quis ſatis oſtendere poteſt; qui ejus dictis obedientes fuere, cùm eos mitteret in caſtellum, ut aſinam cum pullo adducerent. Non interrogabant, cur jam equitare vellet, qui hactenus pedes fuerat: non diffidebant quicquam: non dubii erant, an abducendi aſinam facultas daretur. In nuptiis Canæ Galilææ juſſu ejus citò hydriæ replebantur aqua. Petrus hamum in mare mittere juſſus, & extrahere piſcem, ut inveniret nummum tributi, ſine mora paruit.

Æthiopum traditur mos, ut delinquentes aureis catenis vinciant: & quos morti deſtinaſſent, per lictorem ſignum mortis illis rex mitteret: ipſique accepto ſigno, protinus mortem ſibi conſciſcerent, eo genere lethi, quod quiſque delegerat. *Alexand. lib. 3. cap. 5.*

Agidi Regi Spartano in Arcadia cùm infeſta ſigna ſtante in procinctu exercitus inferre hoſtibus intenderet, ex majoribus natu Spartiatis quidam inclamavit, velle eum malum malo tollere, præproperum ex Argis receptum ſignificans intempeſtiva præſente alacritate velle eum corrigere, ut eſt apud Thucydidem. Quod cùm audiviſſet Agis, obtemperavit, ac receptui cecinit, victorque evaſit. *Plut. an Seni tract. reſp.*

Magiſtro Sarpedoni Catonem juniorem edicto audientem perhibent fuiſſe, & feciſſe, quicquid ille juberet: ſed cauſam requiſiſſe ſingulorum, & rationem percontatum. *Plut. in Cat.*

Sialandi Regneri Regis licèt pueri conſilium ſequuntur. ☞ *Vide Tit. Indoles prudentiæ.*

Vitold. Dux Lituaniæ tam terribilis erat Suis, ut ad levem ipſius nutum juſſi ſemetipſos ſuſpendio necarent. *Æn. Gyl.*

IN MECHANICIS.

Euphranor Athenis duodecim deos pingens, de idea Jovis Grammaticum conſuluit. Is Homericos verſus *Iliad. α.* de Jove recitavit: ἦ, καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων Ἀμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπερρώσαντο ἄνακτος Κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο, μέγαν δ' ἐλέλιξεν ὄλυμπον. quibus recitatis, jam ſe archetypum habere Euphranor reſpondit. Alii verò Phidiam ſtatuarium Jovis Olympici ſtatuam ex ebore ex his Homeri verſibus ſculpſiſſe teſtantur, in ſolio ſedentis, & vertice ſuo ad recti lacunar uſque pertingentis. *Euſtat. Iliad α.*

PLACITA, VOLUNTATEM aliorum non ſequi.

IN THEORICIS.

Creon dum mavult animo ſuo quàm rectis conſiliis obtemperare, & ſuos, & ſe funditus perdidit, apud Sophoclem in Antigone. Proinde Chorus exclamat:

πολλῷ τὸ φρονεῖν γὰρ δαιμονίας πρῶτον ὑπάρχει. id eſt.

Ut ſis felix, longè primum Sapere eſt.

Plato Cyrenæis rogantibus leges ſcribere noluit, ob nimiam illorum felicitatem. *Plut. ad Principem indoctum.*

Pericles a populo ſubinde excitatus, non geſſit ei morem, allegans non eſſe commentatum ſe. *Plut. de Inſt. liber.*

Demoſthenes, vocantibus eum ad conſilium proponendum Athenienſibus denegavit: ac, Non ſum, inquit, meditatus. *Idem.*

IN PRACTICIS. Non obedire.

☞ *Conſule Locum Stultitiæ, Monita aliorum ſpernere. Item Perfidiæ ſubditorum, Liberorum, Uxorum, Servorum, quatenus non obediunt.*

SUBIICERE SE ALTERI. Dedere.

☞ *Conſule Locum Servitutis. Illic fortuita ſubjectio, hìc voluntaria perpenditur.*

BELLICE.

Apud Perſas, terram, & aquam offerre, deditionis ſignum erat. Quàm Darii legati cùm ab Athenienſibus magnificis verbis terram, & aquam peterent, ab eiſdem alii in barathrum, nonnulli in puteos præcipites acti ſunt. *Alex. lib. 4. cap. 7.*

Apud Lacedæmonios ſcutis poſitis, manus excutere: in ſingulari pugna, vox, Herbam do, ſe victum fateri ſignificat: ſicut olim bello capti, cùm ſalutem peterent, in diſcrimine extremo ſalutem dicere cœperunt. ζώγρει. *Idem.*

Athletarum mos erat, ut in certamine victi, digitum, aut manum exetendendo pacem peti oſtenderent. *Idem.*

Apud Gallos, & Hiſpanos brachia, & manus inermes tendere: apud Romanos capita ſcutis ſubdere, & arma tradere, deditionis ſignum erat. Quare Pompejani in pugna Pharſalica paſſis palmis ſalutem petiere.

Junctis, velatiſque manibus ſupplicare, aut cum infulis, & velamentis prodire, apud Græcos manus inermes dare, Indis cum pateris occurrere, & vina libare, aut ex Solis ara accenſis facibus obviàm prodire, in fidem venire, & poteſtatem, ſignum fuit. Neque enim decebat illos, qui paſſis palmis in deditionem veniſſent, morte afficere, aut in eos velut hoſtes inſultare. *Ibid.*

OECONOMICE.

☞ *Vide Tit.* γυναικοκρατουμένων.

Themistocles uxori nihil denegare poterat. Eapropter filius ejus Diophantus per jocum dicere ſolebat: Quod mihi placet, idem & matri. Quod matri, idem Themiſtocli patri. Quod Themiſtocli, idem Athenienſi populo. Quòd Athenienſibus, idem Græcis reliquis. Ergo quod Diophanto, etiam Græcis. *Plut. de Lib. educat.*

☞ *Videatur Locus de Obedientia.*

* Subſtantia.

Definitio, & Etymologia.

Subsantia variè accipitur, vel ut ſit idem, quòd eſſentia, vel idem, quòd ens per ſe ſubſiſtens, ſive id ſit completum, ſive incompletum, ſive finitum, ſive infinitum. Vel denique pro ente per ſe ſubſiſtente completo, & finito, ac directè poſito in prædicamento: eſtque ſubſtantiæ acceptio propriiſſima, illius continens definitionem. Itaque ſubſtantia dicitur vel à ſubſtando, vel à ſubſiſtendo, tum quod aliis id eſt, accidentibus ſubſtet, tanquam eorum fundamentum: tum quia per ſe ſubſiſtat, id eſt, ſine ſubjecto inhæſionis. Generalius ſubſtantia accipitur pro re quavis ſolida, habente quidditatem, quomodo Scriptura vocat divitias ſubſtantiam hujus mundi.

Partitio.

Sustantia alia eſt Prima, alia Secunda. Prima dicitur, quæ primo ſubſtat accidentibus, id eſt non gratia alterius: eſtque ſubſtantia ſingularis. Secunda, quæ ſubſtat accidentibus per primam, eſtque univerſalis.

Definitur autem ab *Ariſtotele* ſubſtantia prima, quæ neque de ſubjecto ullo dicitur, neque in ullo eſt prorſus ſubjecto, & vocat illam ſubſtantiam primam, & propriiſſimam. Secundæ verò ſubſtantiæ definiuntur, & eæ ſpecies, in quibus ea, quæ primò dicuntur ſubſtantiæ inſunt, & harum ſpecierum etiam genera.

Proprietates.

I. Commune eſt omni ſubſtantiæ non eſſe in ſubjecto, id eſt non requirere ad ſui exiſtentiam ſubjectum inhæſionis.

II. Ineſt ſubſtantiis, differentiiſque propriiſſimis; omnes univocè, ut prædicentur, ſcilicet, quæ prædicantur, adeòque ſubſtantiæ ſecundæ.

III. Omnis ſubſtantia hoc aliquid ſignificare videtur, id eſt ſubſtantiam.

IV. Competit ſubſtantiis, ut nihil ſit eis contrarium, nempè per ſe, & ex natura ſua, & de contrarietate logica eſt ſermo.

V. Subſtantia gradus non ſuſcipit, ut ſit magis, minuſve talis, id eſt non poteſt intendi, vel remitti: aut prædicari cum adverbiis magis, & minus.

VI. Maximè proprium ſubſtantiæ eſſe videtur, idem unumque modo permanens, ſuſceptivum eſſe contrariorum, puta ſucceſſivè, & viciſſim.

* Subſtitutio.

Acceptiones, & Divisiones Variæ.

Substitutio à ſubſtituo, quod eſt in alterius locum ſurrogo; nihil eſt aliud, quam ſurrogatio. Græcè ὑπομετάστασιν, & ſumitur Grammaticè generalius pro omni ſuffectione, quæ in alterius munere, officio, aut exercitio fit, apud Juriſtas tamen ſolùm locum habet in hæreditate, eaque ſuſtitutio variis modis fit, quos tractat *Gomez. tom. 1. cap. 3. & Covarruu. cap. 16. de Teſtam.*

Docent autem illi generatim ſex modis poſſe quempiam ſubſtitui in hæreditate, nempè ſubſtitutione vulgari, pupillari, exemplari, fideicommiſſaria, reciproca, & compendioſa, quatuor priores ſunt ſimplices, reliquæ duæ ſunt cõpoſitæ ex pluribus.

Subſtitutio Vulgaris eſt, qua quivis jure non prohibitus, poteſt ſubſtitui à quovis teſtatore, nam per hanc ſubſtitutionem teſtator ſolùm ſubſtituit ſub conditione; nempè ſi is, qui ipſi ex teſtamento, vel ab inteſtato ſucceſſurus erat, nolit

aut non poſſit eſſe hæres: ut ſi moriatur ante teſtatorem, ſi pro-
A pter crimen fiat incapax, ſi repudiet hæreditatem, his eventis ſuccedet ſubſtiturus.

Subſtitutio pupillaris eſt, qua quis proli impuberi in ſua poteſtate conſtitutæ aliquem ſubſtituit. Cùm enim nemo ante pubertatem poſſit condere teſtamentum, Jura conceſſerunt, ut pater impuberis poſſit loco illius quodammodo teſtari in ſuo teſtamento, directè ſubſtituendo ei hæredem, ſi ante pubertatem diſceſſerit; per quam ſubſtitutionem fit, ut non ſolùm bona illius pupilli, quæ à parte obtinuit, ſed etiam alia ad ſubſtitutum perveniunt, perindè ac ſi ipſemet teſtamentum feciſſet, ut docet *Gomezius cap.4.nu.13.*

Nam ut dicitur *§.Igitur Inſtitut.de pupill. ſubſtitut.* in pupillari ſubſtitutione duo quodammodo ſunt teſtamenta, alterum patris, alterum filii, tanquam ſi ipſe filius ſibi hæredem inſtituiſſet,

Subſtitutio Exemplaris eſt, cùm filio amenti, vel ſurdo ſimul, & muto, vel prodigo, cui bonorum adminiſtratio interdicta (qui duo poſteriores teſtari non poſſunt niſi ad pias cauſas) fit ſubſtitutio; ut ſi teſtator habens talem filium, di-
B cat; Inſtituo filium meum, & ei ſubſtituo Titium. Si hic filius nondum fuerit pubes eadem ſubſtitutio etiam erit pupillaris, in eadem etiam ſemper continetur vulgaris, ſi enim contingat filium mori ante teſtatorem, ſubſtitutus ſuccedet ex vulgari. Idem dicendum, ſi nomine ipſius hæreditas repudietur, Expirat hæc ſubſtitutio, ſi filius redeat ad ſanam mentem, nec citò in inſaniam relabatur. Dicitur hæc ſubſtitutio exemplaris, quia ad exemplum pupillaris ſubſtitutionis eſt inventa.

Subſtitutio Fidei-commiſſoria eſt ſubſtitutio indirecta, ſeu obliqua, qua hæres gravatur, ut hæreditatem totam, vel partem ejus aliquotam (v.g. dimidiam, tertiam, quartam, &c.) reſtituat alteri, qui fideicommiſſarius dicitur, ut ait *Gomez. ſuprà, & Covarr.cap.16.§.4.num.2.*

Subſtitutio Reciproca (quæ & breviloqua dicitur) eſt, qua inſtituti ſibi viciſſim ſubſtituuntur Hæc complectitur plures ſubſtitutiones quoad perſonas, ut ſi dicas: Inſtituo Sejum, & Cajum meos hæredes, & eos invicem ſubſtituo, hic ut minimum ſunt duæ ſubſtitutiones vulgares, ſi uterque eſt impubes, ſunt duæ vulgares, & duæ pupillares, ſi alter eſt impubes, alter pubes; ſunt tantùm duæ vulgares, quia hæc ſubſtitutio ſolùm complectitur eas, quæ utrique ſubſtituto pariter con-
C veniunt, ut docet *Covarr.c.16.§.7.nu.4.*

Subſtitutio Compendioſa eſt, quæ plures complectitur ſubſtitutiones, quoad diverſa tempora. Comprehendere enim poteſt omnes hæredes, & omnes ætates eorum, ut ait *Gomezius cap.7.num.1.* ut ſi teſtator dicat: Inſtituo filium meum hæredem, & quandocumque ex vita deceſſerit, ſubſtituo ei Titium: hic enim, ſi filius moriatur ante patrem, vel alia de cauſa non fuerit hæres, Titius ſubſtitutus ſuccedet ex vulgari, ſi verò filius fiat hæres, & moriatur in ætate pupillari, ſuccedet Titius ex pupillari. Si verò filius moriatur poſt pupillarem ætatem, ſuccedet ei fidei-commiſſaria, detracta legitima, & quarta Trebellianica, ſi verò filius ſit amens, ſuccedet ei ex exemplari. *Gomez. num.2.*

Subulci.

Vide Locum de Porcis.

* Succeſſio.

D

Definitio, et Etymologia.

SUCCESSIO διαδοχὴ Græcis, eſt adventus alicujus in locum, aut functionem alterius, adeòque ipſe actus ſuccedendi habet autem potiſſimum locum in hæreditate, Imperiis, principatibus, & functionibus majoris momenti, quibus ſuccedere dicitur, qui vel nativitate, vel adoptione, vel electione defuncto priore poſſeſſore, eadem init, vel obit.

SUCCESSIO PONTIFICUM, Episcoporum, &c.

Pete ex Loco de Romano Pontifice, & de Eccleſia. Atque in particulari, Loco de Epiſcopo.

* SUCCESSIO IN IMPERIIS. REGNIS. Principatibus. EADEM PER HANCOLIM Deleta. E

APUD HEBRÆOS.

Orta litè inter filios DAVID *lib.3. Reg.cap.1.* quis regno præcederet, David edicto ſtatuit à junioribus inchoari, & ut alteri ſuccederent, ubi poſteritas naturalis deficeret. Ita à Salomone ſucceſſio cœpit, alii dicti fratres Principis, ei donato tempore ad ſumendum. Hinc uſque ad Joſaphat, & Ochoziam Reges poſteritas Salomonis, & uſque ad Joada: tunc enim deficiente recta linea Davidis per Salomonem, Joas fuit ex collateralibus, qui ex filiis Nathas filio Davidis alio; ex cujus genere regnarunt uſque ad deſolationem templi Reges, & principes: poſteà à Joakim de carcere educto, uſque ad tempora Aſmonai ſeu Machabæorum, nempè ad Judam Aſmonai. Sequuti enim tunc Aſmonaim, qui ſimul cum Pontificatu etiam Ducatum à domo David ſubripuerunt populi Juda, unde orta inimicitia, & ſimultas, ut hæc omnia recenſet *Philo Judæus in lib. de temporibus.* F

Rabbini etiam conſentiunt Aſmonaim, id eſt, Machabæos non fuiſſe de tribu JUDA, & ſemine regio, ſed vi ſibi uſurpaſſe ſceptrum, ut refert *Munſterus in annotat. ad c. 1. Aggæi, & ad c.49. Geneſeos.* & perſeveravit regnum Aſmonaim in ſucceſſione proximorum ex domo, & genere, centum & tres annos, uſque ad tyrannicum principatum Herodis, qui poſt Ariſtobulum, jubente Senatu Romanorum invitis Hebræis, regnum tyrannicum inivit, juncta ſibi uxore Hircani captì à Parthis, ut ait *idem Philo, Joſephus, & Thalmudiſtæ in l. Aabodazara: in diſtinct. quæ incipit*, Liphne idiem, regnavitque hic primus Herodes Scalonita alienigena, tyrannico quidem principatu annis uno, & triginta; legitimo, ſex. poſtquam nimirum feſſi Hebræi, ultrò ei, & ejus poſteris regnum obtulerunt; jurantes, in fide ipſius, ac poſterorum ſeſe permanſuros, ut refert *idem Philo eod. lib.*

Regnum verò ſucceſſorum HERONIS, *teſte Rabbi Joſeph*, duravit ſtante templo annis centum tribus, atque anno ultimo regni Agrippæ cœpit regnare Barcozbam, cum quo rebellavit Romanis, & hoſtis ab illis judicatus eſt. Vocat hunc Agrippam Philo Judæus Agrippinum. G

LACEDÆMONIOS.

Lacedæmonii aliquando duos habebant reges, nomine tamen magis, quàm imperio, ex duabus Familiis, Proclis, & Euriſthenis: qui principes ex progenie Herculis Sparthæ fuerint. Harum ex altera in alterius familiæ locum fieri non licebat; itaque uterque ſuum retinebat ordinem. Primus in eo habebatur, qui maximus natu eſſet, ex liberis, qui regnans deceſſiſſet. Sin is virilem ſexum non reliquiſſet, tunc deligebatur, qui proximus eſſet propinquitate: & ita ſexus filiarum, & mulierum excludebatur, ut refert *Æmilius Probus in vita Ageſilai.*

MACEDONES. ALIOSQ. GRÆCOS.

Secundùm genus fuiſſe Regum Macedonum, ut Lacedæmoniorum, dixit *Diogenes Laertius in 3. in Platone, & Juſtinus ex Trogo lib.15.* dum loquitur de diviſione Imperii Alexandri H Magni inter Antigonum; Demetrium, Lyſimachum, & crudelem Caſſandrum, tantamque in illis verecundiam fuiſſe notat, ut cùm opes regias haberent, regum tamen nominibus æquo animo caruerint, quoad Alexandrum juſtus hæres fuit: ideò & ante Caſſandrum curaſſe occidi Alexandri filios, uxores, & matrem: ne favore paterni nominis in regnum vocarentur Macedoniæ.

Refert *Thucydides*, temporibus Troicis, antequam ambitio ad mutandam rempublicam Græcos impuliſſet, eoſdem ſexcentis antè annis, rectos fuiſſe regibus per ſucceſſionem legitimam vocatis, ut Athenienſes, Spartanos, Sicyonitas, Corinthios, Thebanos, Epirothas, Macedonas.

Contendit quoque PISISTRATUS, cùm occupaſſet tyrannidem Athenienſium, regnum ſibi debitum, & nihil alienum ſibi uſurpaſſe; Quippe, inquit, genus a Cecrope duco. Id enim meo jure vindico, quod Athenienſes olim cum jurejurando firmaſſent, Codro, illiuſque genti præbituros Regnum, quod poſtmodum abſtulerant. Sicut refert *Diogen. Laert. in 1. & in Solone in epiſt. Piſiſtrati ad Solonem.*

PERSAS

PERSAS.

A

Imperaſſe apud Perſas ex genere Reges ſcribit etiam *Strabo lib.15.* id eſt morte parentum regnum perveniebat ad liberos, & his deficientibus, ad proximos de cognatione, ut ait *Conſtantinus Manaſſes in Annalib. & Procop. lib.1. de bello Perſico*, idemque ſervatum tranſlato imperio ad Parthos, *teſte Joſeph. lib.18. Antiq. cap.3.*

Poſt mortem autem OCHI Regis Perſarum, & filii ejus Arſis cædem, cùm nemo ex Ochi liberis, ad quem regnum lege rediret, ſupereſſet, ἐρήμου ut loquitur *Diod. Sicul. l.27.* ὄντος τῆς βασιλείας οἴκου, καὶ μηδενος ὄντος τῆς κατὰ γένος διαδεξομένου τὴν ἀρχήν.

Sic poſtquam CHOSROES Perſa, Ciliciam, Perſiam, Mediam Armeniam à Romanorum ditione ſibi uſurpavit, cœpitque anno 5. Imperii Juſtiniani regnare; Imperatorem Aſiæ ſe appellavit, regnum Perſicum inter ejus ſucceſſores per trecentos annos tranſmiſit, quouſque Saraceni, vel Agareni, ejus ademerunt Imperium, ut ſcribunt *Haytonus Armen. par.2. hiſt. Orientis cap.1. & Procop. lib.2. de bello Perſico.*

B TURCAS.

Cùm anno Domini 1056. Turcomani, qui & Turcæ, inſtituiſſent regnum adverſus Agarenos, in quorum auxilia tamen vocati erant, contra Perſas, & Sadonem, ſeu Saliothem primum regem conſecraſſent per Calipham Baldacenſem, qui inter Agarenos habebatur pro ſummo illorum ſuperſtitionis Antiſtite; eo mortuo pervenit regnum ad Dolotiſſam filium Sadonis, & poſteà in progenitos ex eo, *teſte Haytono dicta 2. par. hiſt. orient. cap.6.*

Verùm exiguo tempore duravit ejus Monarchia, nam Choſroe cum filio majori interfecto ab Heraclio filius ejus Syroes in Perſide relictus, ab eodem Heraclio Imperatore baptizatus eſt, rurſumque crudeliter interfectus, & ita tyrannis illa non eſt progreſſa ultra filium tyranni, ut ſcribit *Ammonius l.4. de geſtis Franc. cap.21.*

ÆGYPTIOS.

Ægyptii à tempore primi Regis uſque ad SETHONEM ulti-
C mum regem, & ſacerdotem, commemorabant trecentos quadraginta quinque per ſucceſſionem continuatam ex genere. *Herod. lib.2.*

ALIAS NATIONES.

Ita fuerunt ex genere Reges, Indis, Afris, Turcis, Tartaris, & pluribus ſæculis Latinis, Romanis, Etruſcis, Gallis, Hiſpanis.

Nulli verò ſunt bene nati principes, qui hanc ſucceſſionem ex genere in regnis deferendis potiùs non probent, quàm ambitioſorum electionis prætextum. Quin & ipſi ambitioſi, poſt quam detruſerint proximos legitimos regni ſucceſſores, deſiderant, ut ad ſuos potiùs transferre poſſint, quod tamen illegitimà conſecuti ſunt imperium.

Ita capta Tyro urbe per ALEXANDRUM Magnum, & STRATONE Rege ob Darii amicitiam de principatu dejecto; cùm Epheſtio, cui delegaverat Alexander curam præficiendi regem, vellet diademate aliquem ex Tyriis ſuum hoſpitem honorare, recuſavit is oblatum beneficium, cum nullo, ut dicebat co-
D gnationis gradu regium genus contingeret. Quare & inquiſitione facta, quiſnam regiæ ſtirpis extaret, indicatus eſt Ballonimus quidam è regibus genus ducens, prudens, atque optimus, ſed paupertatis extremæ homo. Ad quem nihilominus regni tradendi cauſa protinus Epheſtio cum regali amictu contendit, invenitque in horto mercede aquam de puteo trahentem, craſſiſſimo indutum panno, eumque regia veſte, aliiſque decentibus ornamentis produxit in forum, & Tyriis regem eſſe juſſit, aſſentiente ſummo cum applauſu populo. *Diodorus Siculus libro 17.*

Quamvis etiam OMPHIS Rex unus ex Indis, cum regno ſuo ſe dediſſet Alexandro, Alexander tamen, ex more gentis eum in locum patris permiſit regnare. *Q. Curtius l.8.* Abiaſaris quoque Regis alterius Indiæ regnum filio ejus attribuit. *Q. Curt. lib.20.*

Genti Francorum moris eſt, Dominum, id eſt, Regem ſecundùm genus participari. *Anaſtaſ. Bibliothecar. Adriani II. ſive Landulphus Sagax. hiſt. Miſcell.*

IN SUCCESSIONE PRÆFERENDUS Primogenitus. E

Ex conſuetudine ferè juriſgentium, univerſa imperia, regna, principatus, ad unum devolvuntur: quia inita experientia docuit magis Reipublicæ paci, & tranquillitati ſubditorum expedire, & comprobavit primogenitum, & eo deficiente, ſequentem, ſi primus decedat ſine liberis.

Et regulariter unus Rex admittitur vel exemplo politiæ apum *Cap. in apibus 7. quæſt.1.* & conſuetudo jam regulariter obſervat, ut non tantùm regna, ſed etiam Ducatus, Marchionatus, Comitatus, ſimileſque dignitates non dividantur, ſed primogenito, vel proximiori deferantur. *Cap.1.5. Prætereà ducatus, de prohibita feudi alienat.* Quamvis alicubi ex alia conſuetudine dividantur feuda cum dignitate, ſed non ſecundùm jus, quod defert primogenito. Ut notat *Alex. conſil.25. incipien. attentis narratis, num.9. & ſeqq. volum.5.* ubi alios interpretes citat.

Quanta verò fuerit primogenitorum prærogativa apud Hebræos, adeòque etiam in lege naturæ, latè à nobis dictum eſt *in loco de Primogenitis*, nempè quomodo & ad illos dignitas Sacerdotii, hæreditatis nomine, & paternæ benedictionis prærogativa devoluta fuerit. F

ABRAHAM Patriarcha plures habens liberos ex diverſis conjugibus, dedit cuncta, quæ poſſidebat Iſaac primogenito, aliis autem largitus eſt munera, & ſeparavit eos ab Iſaac filio ſuo, dum adhuc viveret. *Gen. cap.25.*

JOSAPHAT Rex Juda plures habens filios, dedit eis multa munera auri, & argenti, & penſitationes cum civitatibus munitiſſimis in Juda, Regnum autem tradidit Joram, eò quod eſſet primogenitus, qui tamen aliis melior non erat. Siquidem ſurrexit Joram ſuper regnum patris ſui, cùmque ſe confirmaſſet, occidit omnes fratres ſuo gladio. *2. Paral.21.*

Apud Lacedæmonios, ut antè diximus, erat jus, ut mortuo rege major ex liberis ejus imperaret. *Plutarchus in Ageſilao.*

Sic & ſervatum in regno Hungariæ, ut ordine genituræ primus primùm ſuccederet in eo. *Cap. licèt ex voto 6. de voto l.3. tit.34.*

CYRUS Rex moriturus duobus filiis exiſtentibus Cambyſe, G & Tanaozare; conſentaneum dixit ſibi viſum eſſe regnum, & ducatum ei relinquere, qui prior natus eſſet, nempè Cambyſi, & rerum plurium conſentaneè potitus eſſet. *Zenoph. l. Cyripædiæ.*

OIZERICUS ſenex decedens teſtamentum condidit, in quo mandavit Vandalis, ut per manus regni eſſent, ſucceſſores ejus, & illi propinquiori ex genere virilis prolis, qui ætate præcederet. *Procop. l.3. de bello Vandalico, & l.1. de bello Perſico.* Cabadem natu minorem honoris gratia lex vocabat.

Apud Luſitanos autem ſtrictius id obſervatur, non ſolùm in majoribus dignitatibus, ſed etiam in quacunque donatione, quæ a rege fit de terra coronæ regiæ: ſolus enim legitimus deſcendens primogenitus, vel proximior ſuccedit, nec ulla diviſio admittitur, ut patet *ex l.2. ordinationum ejus regni tit. 17.§.3.* Sicque conſervatur & dignitas, & ſplendor familiarum, cùm contra diviſio tituli vilem reddat dignitatem inter plures, & diviſio ſæpè facta familiæ eam ad nihilum reducat.

PRÆFERRI ALIQUANDO CERTOS Liberos. H

Certi, legitimique præferendi, & cautio ſæpè adhibenda, ne fraus irrepat, aut ſuſpicio. Sicut in Ogina Lucemburgica, quæ penè quinquagenaria in matrimonio Balduini Pulchrobarbi Flandriæ Comitis gravida eſt facta: & res ea ſuſpecta multis, ne vanus, aut falſus tumor, non à natura, & puero eſſet. Igitur circa dies jam partioni ſolennes, maritus in medio Atrebatium foro tabernaculum tendi juſſit, laxum, & pretioſi operis: dixitque, omnibus fæminis, fama, & loco honeſtis, fas eſſe adſiſtendi, & oculis arbitrandi, verus, an ſuppoſitiſius ille partus eſſet. Factum ita, viderunt plures, obſervarunt, & omnes ita rumuſculos diſſiparunt, qui de ſterilitate ejus erant ſparſi.

Planè idem in CONSTANTIA Neapolitana regina. Quæ nupta Henrico Imperatori, quinquagenaria etiam major uterum cæpit ferre, fraudem, aut fucum ſuſpectantibus multis.

Quod

Quod utrumque prudenter amolitus eſt HENRICUS, ac pri-
A mùm cùm uxor ad eum in Germania agentem adſpiraret: vetuit, juſſitque in regno ſubſiſtere, & adventum ſuum exſpectare, coram ſuis (cum bono Deo) hæredem regni parituram. Deinde, uxore etiam ipſa ſic volente, in foro tentorium expanſum facta poteſtate. Nobilibus fœminis veniendi, & parietem, ac partum pariter oculis uſurpandi. Peperit igitur in tali, ut ſic dicam, ſcena Fridericum, paterni avi nomine appellatum: Hæc ſatis mira in illa ætate, etſi rei fides aliqua jam antè ab Abbate Joachimo facta, illo cujus vaticinia tunc clara erant, & nunc quoque tradita ſcriptis leguntur. Quippe pariturum prædixit, & quidem filium, tali vita, & ſorte: quæque alia Friderico evenerunt.

ETIAM MINORES NATU.

Cauſæ complures ſunt, ob quas nonnunquam minores natu, quæ primogenitis ſceptra ineant, & ſuccedant Principatibus, una erit indoles primogenitorum depravata, aut minus ſolers.

B JACOB Patriarcha moriturus poſtquam ademit benedictionem filio primogenito Ruben ob inceſtum, & Simeoni, & Levi propter iram illorum pertinacem. Regiam poteſtatem reliquit ſequenti Judæ, & proli ejus, Juda, inquit, te laudabunt fratres tui, manus tuæ in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui. Catulus Leonis Juda: ad prædam, fili mi, aſcendiſti, requieſcens accubuiſti ut Leo, & quaſi leæna, quis ſuſcitabit eum? Non auferetur ſceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe eſt exſpectatio gentium. Et quamvis valdè Joſeph filium diligeret, & Beniamin filios noviſſimos, tamen principatum non illis reliquit, ſed Judæ, qui ſublatis anterioribus fratribus de medio propter crimina, & veluti redditis incapacibus ad imperandum legitimè, primum locum tenebat. *Geneſ. 49. 1. Paralip. 5.*

Tale Joan. COMNENUS prætextum habuit Manuelem filium præferendi Iſaacio: idque moriens perſuaſit. Cępit igitur imperium, & tenuit: ſed revera non proſpexit, ne fratri fortaſſe niſi ab affectu patris præponendus.

C Et verò rarò felix niſi turbandis rebus iſta electio, ut in PTOLEMÆO Lagi F. qui cùm minorem item, rupto gentium jure, regno impoſuiſſet: ipſa naturæ jura violata mox ſunt, cùm alter fratrem ſuum parricidio ſuſtuliſſet.

In PTOLEMÆO Phiſcone haud diſpar eventus, ſed purus à ſcelere blanditiis uxoris illectus juniorem ſeniori antehabuit, & ſceptrum credidit: ſed populus eo mortuo huic reddidit, & illi exilium dedit.

Quid in LUDOVICO Pio Caroli M. filio; ille item Judithæ uxoris ſuada Carolum minorem Ludovico in multis prætulit cum eo fructu, ut bellum ipſo vivo adhuc motum ſit, & arma adeò, junctis etiam aliis fratribus, in patrem ſumpta.

Ideò non nimis ridendi fortaſſe Pannonii, qui pertinaciter hoc jus ſunt tutati in ſuo Colomanno. Uladislaus Rex liberis ipſe orbus, Almum fratris ſui filium adoptaverat, animo, & corpore meliorem, ævo inferiorem. Ut autem rata magis electio eſſet, Colomannum fratrem ſacris initiavit, & procul à patria Lutetiam Pariſiorum, ſpecie ſtudiorum, ablega-
D vit dicam, an relegavit? Hæc facta, & ipſe obiit; ſed ſtatim proceres, & populus Colomannum revocant, & venia exſecrationis à Pontifice impetrata, regem ſimul, & maritum fecerunt. Quem autem hominem; ridebis lector: ſtatura puſillum, lingua balbum, oculo luſcum, pede claudum, dorſo gibberum. Non monſtrum vides: tamen hic placuit, & jus hominum, & jam in ambiguo, penè dicam, homine ſervarunt.

In hac re tamen fateor morem Abyſſinorum (in Africa latè dominatur) non improbandum videri, aut improbum, qui gentiles omnes, agnatoſque Regis in una quadam arce educant, remotos à populo: quia & arx in monte penè inacceſſo eſt (Angam nominant) & valido præſidio cuſtoditur. Tenentur illic igitur, ne turbas, aut partes faciant: & mortuo rege, eum, qui maximè idoneus optimatibus, & cuſtodibus videtur, aſſumunt, & ſubſtituunt.

Altera cauſa eſſe poteſt, quæ olim inter Darii liberos litem movit, Artemenem, & Xerxem: Nam ex his Artemenes regnum jure, & more gentium petebat natu prior: at Xerxes controverſiam non de ordine, ſed de naſcendi felicitate faciebat. Nam illum Dario privato proveniſſe, ſeſe regi. Ita privatas illi opes deberi, quod tunc habuit, at ſibi regnum, in quo genitus, educatuſque eſſet. Contentio, quamquam de regno
E intra arma ſtetit: & arbitruum patrûum ſumpſerunt Artaphernem, qui re penſiculata, præponendum Xerxem putavit, ſive ratione jam dicta, ſive indole utriuſque jam motus. De patruo judice in Juſtino ſcribitur: in Herodoto pater ipſe definit. Qui idem Herodotus alterum fratrum non Artemenem, ſed Ariobarzanem appellat.

Ipſum hoc in eodem Perſarum regno diù poſt movit PARYSATIS, Darii alterius Uxor: movit, ſed non eodem ſucceſſu: Nam ægro maritò perſuadere contra, ut Cyrum minorem filium Arſacæ (qui poſteà Artaxerxes dictus) in jure ſceptri præferret ipſa illa dicta cauſa, & quod in regno natus eſſet: non impetravit, & ſtabile priori jus ſuum fuit. Etſi callida mulier Xerxis exemplum ſuggereret: ſed quod paulò diverſum inveniet, qui explorabit. Nunc Artemenes tunc natus Dario fuit, cum verè privatus eſſet, nec in ſtirpe, aut jure ullo regio (quippe poſteà à magis inopinatè electo) at Arſaces patri quidem nondum Regi natura, ſed nato è regibus, & in hanc ſpem ſublato. Itaque diſcrimen ap-
F paret in utraque ſorte: etſi nec id quidem alibi obſervatum, & quomodocumque primogenitis ſceptrum fore delatum.

PATRUUM, AUT NEPOTEM PRÆFERRI NONNUNQUAM.

Sunt quoque qui patruum præferunt, rationem proximi ſanguinis adſpicientes, à patre rege, qui nepotem toto gradu antecedit, At nepoti fictio juris ſubvenit, & idem cum patre cenſetur, cur non ergo & in jura ſuccedat? Sed exempla variant.

LUDOVICUS Pius Bernardum Italiæ Regem dejecit, & vinculis, ac carcere coercuit, quia jus ſibi à patre Pipino primogenito vindicabat contra patruum Ludovicum.

ROBERTUS Rex Neapolitanus, Clemente V. Pontifice ſic cenſente, jus regni tenuit contra Carolum Numbertum Hungariæ Regem: etſi iſte natus è Carolo Martello eſſet, Roberti majore fratre. Res clara eſt, & annalibus teſtata: ſed *Baldus* Juriſconſultus arbitratur, in regni uſum hoc à Pontifice factum, & quia optimus, & prudentiſſimus Robertus
G eſſet, quod res docuit, itemque ſalubri temperie, & partitione, quod Carolus jam regnum Hungariæ teneret, in eoque poſſet acquieſcere.

Jam olim etiam NUMIDÆ pro communi jure habuerunt patruum nepoti præferri.

Similiter & Vandali idem uſurparunt.

Itemque hodie & Moſcovitæ, ſed reſtrictius: nempe ſi impubes filius relictus ſit, tum patruus ſceptrum accipit: in Baſilio noſtro ævo factum. Aliter autem, ſi juſta nepoti ætas, atque ea diſcretio rationem ſuam habet.

Hæc pro patruo: plura ſunt pro nepote. Spartiatæ, ſapiens populus, ſic ſervarunt: & ipſe Lycurgus regnum Charilao fratris F. ceſſit, quod in manu ejus erat, omnium gratia, tenere.

ROBERTUS Neapoleos Rex, etſi alio jure, ut dixi: promotus, hoc velut æquius, melius reſtituit: & ſententiam publico judicio ſic tulit, in litè ſuper Comitatu S. Severini. Quæ inter patruum, & nepotem vertebatur, & Juriſconſulti variè trahebant: meliores & ipſi ad nepotem flexerunt.

H OTHO Magnus Imperator judicio armorum rem commiſit. Pugnarunt ſingulari certamine, barbaro illo ritu, vicit nepos, quod iterùm ita ſub Henrico I. Imperatore adnoto eveniſſe. Ergo & Deus hanc cauſam videatur comprobaſſe.

Sed quod judicium, publicum, aut privatum, iſto Hiſpanienſi clarius? Rex Henricus defunctus erat, filio infante relicto Joanne, duos & viginti menſes nato. Patruus ei erat Ferdinandus, vir & ſolo virtutum merito (ut ſanguis ſeponatur) omni ſumma fortuna dignus. Itaque conjecti in eum oculi vulgi, & procerum: nec ambire opus, ambigebatur. Atque id non è ſingulis tantùm, & in privatis colloquiis, ubi adulatio timeretur, ſed in Conventu publico, hoc rei indicto, omnia non ſtudia, ſed aperta ſuffragia in eum ibant. Incitabat non ipſe ſolùm ævi maturus, virtutum ſpectatus, ſed & ætas pueri, quæ quando tandem gubernationi ſuffectura eſſet: Longum annorum intervallum, bella in manibus, turbas, & diſſidia in metu eſſe: quæ ſemper ferè comitari, ubi penes alios regimen eſſet. Ergo ageret cum Deo bene juvante, expergiſceretur, & vel regni cauſa, caperet fraternum regnũ.

Surdæ

Surdæ aures ad has voces, & jus infantis oſtendebat, & Hiſ-
A paniæ conſuetudinem: quæ eo magis tutanda ipſis, quo minus ille puer (hoc ipſo miſerandus) poſſet. Nondum tamen perſuaſerat, iterùmque Conventus, ſi fortè pœnitentia ſubeunte mutaſſet. Non ignarus ipſe rei, & affectuum, infantem clamide tectum occultè intulit: & cùm Davalus magiſter equitum, de communi conſenſu, iterùm tentaturus dixiſſet, Quem Regem, Ferdinande, renuntiari tibi placet; ille acri voce, & vultu. Quem autem, inquit, niſi Joannem, fratris mei filium; Et ſimul puerum in ſublime extulit, nomen Joannis identidem, & Regis, ut mox eſt, ingeminans: juſſitque vexilla explicari, & alia ſolita fieri in novo regno. Sed pauci iſti Ferdinandi: cui Deus tamen regnum Aragoniæ paulò poſt contulit, pretium virtutum, & Electione (de qua dixi) ſive judicio delatum.

INGENTES CLADES EX HAC PRÆLATIONE ORTAS.

Violatio hujus juris ſuccedendi, & dum voluit minor ex filiis præripere regnum majori, peperit ingentes clades: tandem ſuccedentibus in irritum, ut plerumque, conatibus: neq;
B prætextus, quòd major eſſet minus imperandi idoneus, potuit tueri etiam electionem contra jus hoc naturæ.

Quod liquet ex duobus F. Alexandri Regis Judæorum, ut refert *Joſeph. lib. 1. de bello Jud. cap. 4. & 5.*

Eo enim mortuo, uxor ejus ALEXANDRA, quæ duos illos Alexandro genuerat filios, natu maximum Hyrcanum, & propter ætatem declaravit Pontificem, & quod præterea ſegnior eſſet, quàm ut poteſtate regia moleſtus cuiquam videretur, Regem conſtituit, minorem autem Ariſtobulum privatum vivere maluit; quod ferventioris eſſet ingenii. Attamen mortua Alexandra Ariſtobulus regnum ſibi uſurpavit, donec poſt ingentes clades, & prælia à Pompejo victus, & captus, regnum Hyrcano reſtitutum eſt.

Pauſan. in Atticis narrat tragœdiam ob eandem cauſam his verbis: PTOLEMÆUS, qui Philometor eſt dictus, octavus eſt Rex (Ægypti ſcilicet) à Ptolemæo Lagi filio. Id autem cognominis per illuſionem nactus eſt: neque enim regum quiſquam fuit unquam ex omnibus, quem majori mater odio proſequuta fuerit. Hunc enim majorem quamvis natu, regem
C ſalutari non eſt paſſa, & ut in Cyprum vivente patre ablegaretur, effecit. Cujus in filium acerbitatis, cùm aliàs fuiſſe cauſas, Cleopatræ commemorant, tum quod Alexandram natu minorem, ſibi obſequentiorem fore ſperabat: ob eamque rem primùm, ut eum Ægyptii regem crearent, ſuadebant: deinde cùm repugnante plebe id aſſequi nequiſſet in Cyprum Alexandrum miſit, Imperatoris quidem (patris) nomine re vera, ut per eum Ptolemæo formidoloſior eſſet ipſa. Poſtremò ex omni Eunuchorum numero, quos amantiſſimos eſſe ſui putabat, ſaucios in concionem produxit. Ptolemæum inſimulans & inſidias ſibi feciſſe, & Eunuchos vulneribus fœdaſſe. Quare Alexandrini commoti, non multùm abfuit, quin Ptolemæum impetu facto opprimerent: ſed cùm ipſe navi ſe periculo eripuiſſet, haud ita multò poſt, è Cypro reverſum Alexandrum, Regem appellarunt. Digna autem facinore pœna Cleopatram conſecuta eſt: eam enim filius quem ſuis ipſa conſiliis ad regnum evexerat, peremit: quo ſcelere detecto, cùm civium metu aufugiſſet Alexander, Ptolemæus in Ægyptum rediit, ac iterùm regno potitus eſt.

D *Juſtinus lib. 34. circa finem*, ſcribit de Pruſia Rege Bythyniæ, quod ceperit Conſilium interficiendi Nicomedis filii, dum conſulere ſtuderet minoribus filiis, quos noverca ejus ſuſceperat, & Romæ habebat, re manifeſta adoleſcenti ab his, qui facinus ſuſceperant, accitum in patris regnum veniſſe, ſtatimque Regem appellatum, Pruſiam regno ſpoliatum à filio, privatumque redditum, etiam à ſervis derelictum, & cùm in latebris degeret, non minori ſcelere, quàm filium occidi juſſerat, à filio interfectum.

Prætulit quoque in ſucceſſione regni Pharnaces filiis ſuis Mithridatem fratrem tanquam magis utilem Parthorum regno contra morem gentis, ſed non diù apud ejus ſtirpem directam remanſit, ſed à filio ejus in patruum translatum fuit imperium.

Valerius Maximus lib. 9. cap. 11. SCIPIONE Africano patris, & patrui memoriam gladiatorio munere Carthagine nova celebrante, duos regios filios, nuper patre mortuo, in arenam proceſſiſſe: pollicitoſque ſe ibi de regno præliaturos, quo ſpectaculum illud illuſtrius pugna ſua facerent, eos Scipionem monuiſſe, ut verbis, quàm ferro dijudicare mallent, ut re-
E gnare deberet, ac jam major natu, conſilio ejus obtemperaret, minorem corporibus fretum, in amentia perſtitiſſe: initoque certamine, pertinaciorem, impietatem fortunæ judicio morte mulctatam. Sic *Valerius Maximus*. Conſentire videtur *Liv. lib. 8.* Tamen hos fratres patrueles dixit Corbim, & Orſuam, de principatu civitatis, quam ibidem dicebat diſputantes, vel etiam illi cum aliis in gladiatorum manus etiam pro regno deſcenderunt duello terminantes ſucceſſionis eventum.

GEMINORUM SUCCESSIO.

EX GEMINIS QUIS SUCCEDAT?

Si gemini nati ſunt, is pro primogenito habendus, qui primò in lucem editus fuerit, quemadmodum in JACOB, & ESAU nativitate: quamvis enim Jacob teneret plantam pedis prænaſcentis Eſau, tamen Eſau quia prior editus, primogenia habebat, donec remiſit, *Gen. 25.*

Neque enim, inquit TRIPHONIUS Juriſconſultus, natura
F permittit ſimul uno impetu duos infantes de utero matris excedere de ordine naſcentium non appareat. *L. Areſcuſa 15. de ſtatu hominem l. 1. P. tit. 5.*

Et quamvis gemini videantur eſſe ejuſdem temporis ratione conceptionis, & quamdiù fuerunt in utero matris: tamen quia agitur de ſucceſſione natorum, ordo nativitatis per quam emiſſi in lucem, magis conſideratur: nam quamdiù in utero ſunt matris, pars viſcerum illius dicuntur, atque partus nondum editus, non rectè homo fuiſſe dicetur. *L. in lege Falcidia placuit ad leg. Falcid. P.*

Quod ſi non appareat manifeſtè quis prior ex geminis editus fuerit, & feudum ſit indiviſibile. Ulpiani reſponſum videtur admonere quid ſtatuendum ſit, *in l. ſi fuerit legatum* 10. §. *ff. de rebus dubiis l. 34. P. tit. 5.* Planè, inquit, ſi ita libertatem acceperit ancilla, ſi primùm marem pepererit, libera eſto: & hæc uno utero marem, & fœminam peperiſſet: ſiquidem certum eſt, quid prius peperiſſet, non debet de ejus ſtatu ambigi, utrùm libera eſſet, nec ne: nec filia, nam ſi poſteà edita eſt, erit ingenua.

G Sin autem hoc incertum eſt, nec poteſt nec per ſubtilitatem judicialem manifeſtari: in ambiguis rebus humaniorem ſententiam ſequi oportet, ut tam ipſa libertatem conſequatur, quàm filia ejus ingenuitatem: quaſi per præſumptionem priore maſculo edito.

Poſſet & ambiguitas major oriri, ſi exſecto matris utero in orbem venerint, & non nati ſint, de quo & *Bartholom. in d. l. Areſcuſa de ſtat. hominum.* de quibus quæſtionibus dubitatis, & aliquando conſultum eſt oraculum Delphicum à Lacedæmoniis, recenſet *Herod. in 6.* dum ait; Ariſtodemi Regis Spartiatarum uxorem Æginam peperiſſe geminos, eiſque natis, Ariſtodemum morbo deceſſiſſe. Lacedæmonios autem, qui tunc erant, inito conſilio creaſse Regem è pueris eum, qui eſſet primogenitus: ut lex jubebat. Sed neſcientes utrùm puerorum eligerent, cùm eſsent ſimiles, ac pares: idque cùm nequirent ipſi diſcernere, priùs fuiſse percontatos genitricem, eaque negante ſe dignoſcere: ſed diſſimulante, quòd videlicet, ut credibile eſt, magnoperè cuperet ambo effici Reges? ita de hoc dubitantes Lacedæmonios miſiſse Delphos ſuſcitatum, quid in ea re agerent: & his Pythiam reſpondiſse, ut utrum-
H que puerorum Regem ducerent, ſed primogenitum magis honorarent: hocque reſponſo à Pythia edito, Lacedæmonios nihilominus incertos, quo pacto primogenitum reperirent, admonitos fuiſse à quodam Meſsenio nomine Panite, ut obſervarent, utrum puerorum mater priorem lavaret, cibaretque, quam ſi deprehenderent, eodem modo factitare, habituros id omne, quod quærerent, & inventuros, quod vellent: ſin illa alternando erraret, palàm fore, ne ipſam quidem quippiam magis noſse, & ut iſti aliam rationem inirent. Ibique Spartiatas ex admonitu Meſsenii obſervantes matrem puerorum, ignaram cur obſervaretur, animadvertentes illam præferentem alteri primigenium, tum cibando, tum lavando, accepiſse puerum, qui magis honorabatur à matre tanquam primigenium, publicèque alendum curaſse, impoſito ei nomine Euriſthene, juniori Proclis: unde regum duorum origo apud Spartiatas ex duabus familiis.

Videtur etiam eſse ſententia *Joannis Andreæ in addition.*

ad